G-A
619

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: , [1] - uncounted

G-A 619

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: , [2] - uncounted PUBLIC DOMAIN

De

SEDECEM ADAVIS

ET ADAVIIS PATERNIS

ET MATERNIS,

Illuſtriſsimor. Principum

& Dominor. Ducum VVürtemb. & Teccior. Comit. Mompelg. Dominor. in Heidenh. & Oberkürch. Hodie Ξ. Θ. viventium.

Quorum nomina verſa pagina continet:

Carmen

ULRICI BOLLINGERI: MAGIſtri, & Poët. Coronat.

Acceſsit Panegyric. de Illuſtriſs. Princ. & Dom. Dom. GEORG. Com. Mompelgart. & alia quædam ejusmodi, &c.

BIBLIOTHECA REGIA HANNOVERANA

LIPSIÆ,
TYPIS ABRAHAMI LAMBERGI:
Anno M. DC. IX.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: , [3] - uncounted

Illuſtriſs. & Celſiſsimis Principibus & Dominis,

D. JOANN. FRIDERICO, Sponſo:
D. LUDOVICO FRIDERICO:
D. JULIO FRIDERICO:
D. FRIDERICO ACHILLI:
D. MAGNO:

Ducibus VVürtemberg. & Tecc. Comitib. Mompeligard. Dominis Hericur. Heidenh. & Oberkürch:

D. FRIDERICI & SIBYLLÆ ANHALT. Filiis.
D. GEORGII & BARBAR. Haſs. Landgrav. Nepotib.
D. HENRICI & EVÆ (alias Barbar.) Salmenſ. Pronepot.
D. ULRICI ADAMATI & ELISABETHÆ Bavaræ, Abnepotibus.
D. EBERHARDI V. & HEINRICÆ Mompelig. Adnepotibus.
D. EBERHARD. PII, & ANTHONIÆ Mediolan. Poſteris &c. Dominis ſuis Clementiſſimis

Humilimè offert:

ULRICUS BOLLINGERUS, Art. Mag. & Poëta Coronatus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: , [4] - uncounted

De ſedecem Adavis & Adaviis

Illuſtriß. Princip. & Dominorum,

Dn. IOANN. FRIDERICI SPONSI:

ET D. D. D. D. FRATRUM PRINCIP. WÜRTENBERG.
& Tecc. Com. Mompel. Dominor. in Heidenh.
& Oberkürch.

Carmen Nuncupatorium.

Qui noſtris Princeps datus es divinitus oris,
Subjectis populis portus & aura tuis.
Et tua nunc celebras tædæ feſtiva jugalis
Gaudia, quæ patriæ fauſta futura precor.
Vos etiam Fratres ab eodem ſanguine nati
Quos benè fraternus copulat unus amor.
Tu qui LUDVVICI *tam vero nomine gaudes,*
Jam NORMANDIACO *vivis in orbe procul.*
Tu JULI, *tu qui præclarum nomen* ACHILLIS,
Et tu qui MAGNI *nomen & omen habes.*
Dum Senior Frater magno Dux auctus honore,
Tradita nuperius ſceptra paterna capit:
BRANDENBURGIACO *genitam de ſanguine Nympham*
Dum ſibi fœlici fœdere conſociat.
Quæſo parum veſtras aures præbete benignas,
Quid mea decantet carmine Muſa brevi:
Hic Patris & Matris veſtra de ſtirpe bis octo
Per longam ſeriem commemorantur Avi:
Quos BOLLINGERUS *Vates* CHRISTIQUE *Sacerdos*
Eruit è priſcis diſpoſuit q; libris.

Primus Adavus & Adavia paterna.

Dn. IOANN. FRIDERICI SPONSI:

& D.D.D.D. Fratrum Ducum Würtemberg. & Tecc. C. M.

EBERHARDUS cognomento Junior, Filius Eberhardi Senioris qui Mitis, pii, & pacifici nomen meruit, ante diem decessit: Anno Domini 1419. Sepultus Stutgard.

Uxor HEINRICA, Filia & hæres Heinrici Comit. Mompelig. ultimi, in pugna ad Nicopolin occisi, Anno Dom. 1396. Diem obiit Anno 1442. Sepulta Mompelig.

CARMEN ULRICI BOLLINGERI.

PRimus EBERHARDUS non tam cognomine prisco
Quam virtute sua par fuit ille patri:
Cum Genitore Pio multos fœliciter annos
VVirtembergiacas rexit & auxit opes.
Zollerias urbes & rura beata Balingæ
Ære dato patriis associavit agris:
Beilstiaca pariter possedit mœnia sedis,
Tunc hæres alius nemo superstes erat.
Tempore quo Bajazethes trux ille tyrannus
Intulit Hungaricis armaq; vimq; locis.
HEINRICUS Peligardæus dominator in oris
Cæsaris est ausus Martia castra sequi.
Sed prius hunc Generum delegit fœdere firmo
Huic Peligardæum tradidit omne solum.
At Burgundiaco numeratus in agmine ductor
Heu postquam Getico concidit ense Socer:
Cæsar EBERNARDO terras concessit habendas
In clypeo pisces inseruitq; duos.
Ex illo jam sunt duo sæcula tota peracta;
Id quod ab antiquis novimus historiis.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: , [6] - uncounted

At poſtquam Genitor longævis canus ab annis
Ad veteres fœlix umbra receſſit Avos.
Filius hic binos vixit non amplius annos,
Filiolis auctus forte duobus erat.

HEINRICA HEINRICI COM. MOMPEL. Unica filia; 1. Adavia paterna.

VXor at in viduo duravit caſta cubili,
Semper & in natos officioſa fuit.
Quin etiam vim repreſſit vicitq; furores
Oetingere tuos Zollera celſa tuos.
Natorum natos, & natos rurſus ab illis
Ætatis vidit facta ſenilis anus.
Urbs Böblinga jacet VVürmſus quam præterit amnis
Hic longos fertur conſenuiſſe dies.

Secundus Adavus & Adavia paterna,

Illuſtriß. Princip. & Dominorum,

Dn. IOANN. FRIDERICI SPONSI, & Dominor. Fratrum Ducum Würtemb.

HEINRICUS, Dux & Tetrarcha Bojor. Regulus Landshut. impubes adhuc utroq; parente orbatus, omnibus præfecturis per tutores abalienatis, ubi ex ephebis exceſſit, purpuratos ſuos exauctoravit, egeſtateque coactus apud Equites Teutonicos, per continuos octo annos adverſus Lithuanos ac Polonos ſtipendia meruit, adminiſtratione omni in Sacerdotem quendam hominem tenacem, ac rei familiaris diligentiſſim. relegata: qui interim dum abfuit ipſe, omnia obligata & oppignorata redemit, æs alienum diſſolvit, vectigalia reſtituit. Nono anno feliciter redux Heinricus ducta uxore Auſtriaca, divitias ingentes comparavit, unde cognomen

Divitis, etiam ad posteros transmisit. Princeps studiosissimus pacis, excellens civilitate summa & popularitate. Provocatus quidem, contra patruelem LUDOVIC. Barbatum arma sumpsit: sed eundem à filio captum, & in custodiam Onoldinam traditum magna vi auri (nummor. 32000.) redemit. Obiit Anno Dom. 1450.

MARGARETA Ducis Heinrici uxor, filia Alberti Patientis, Archiduc. Austr. Soror Alberti Regis Hungar. & Bohem. qui tandem in Imperatorem Roman. electus, elapso vix biennio pòst, morte interceptus est Anno 1439.

CARMEN ULRICI BOLLINGERI.

OCcurrit nobis Adavus statione secundus
HEINRICUS Boiis progeneratus Avis.
Suppositas urbes stellis Erymanthidos ursæ,
Hic adiit valida victor ubiq; manu.
Alter ut Amphytrioniades alterq; Camillus
Edidit in variis fortia facta locis.
Bastarnas vicitq; truces Henedosq; rebelles,
Invictum sensit Gens Lithuana virum.
Et tandem patriam spoliis ditavit opimis
Exactis octo messibus inde redux.
Huic labor unus erat rebus succurrere lapsis,
Ut tutæ maneant absq; latrone viæ.
Ut casta maneant in Relligione Nepotes,
Constituit vero plurima templa Deo.
Dux Consanguineus Barbati nomine dictus,
Heu, passim Boios depopulavit agros.
Hunc captum domuit vinclisq; coërcuit arctis
BRANDENBURGIACI bellica turba Ducis.
At Pius HEINRICUS magnam vim contulit auri,
Captus ut è duro carcere liber eat.

Solvere

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: , [8] - uncounted

Solvere captivos hoc auri postulat usus:
Sic poteris gazas exuperare Midæ.

MARGARETHA, ALBERTI PATIENTIS Archiduc. Austr. filia 2. Adavia paterna.

MARGARIS Austriaco fuit huic de sanguine conjux
Et fuit Alberti Cæsaris illa Soror.
Fœmina par illis quas aurea protulit ætas
Assueri conjunx Esthera qualis erat.
Edidit hæc pulchram terfacta puerpera prolem,
Successor regni filius unde fuit.

Tertius Adavus & Adavia paterna,

Illustriß. Princip. & Domini,

Dn. IOANN. FRIDERICI SPONSI,

& Dominorum Fratrum Ducum Würt. Comitum Mompelg.

JOANNES V. Comes Salmæ in Lotharing. Natus Patre Joann. Com. Salm. & matre Philippa filia Reinhardi Com. Falcoburg. Uxores habuit duas: 1. JOANNAM filiam ANDREÆ Lib. Baron. Janivillæ, Princip. nostror. Adaviam paternam &c. 2. HILDEMUNDAM filiam Gwilielm. lib Baron. Fiersæ.

Castrum Salmæ conditum in angustiis sylvæ Arduennæ, in edito colle, proximè supra Monasterium Stablense, à conditore Salmo nominatum fertur, qui vixit annis sexaginta sex ante natum Christum, & habuit uxorem Clotildam Arioviſti Regis Saxonum filiam, ut Laurent. Hochwardus Canonic. Paravienſis. affirmat, qui hanc stirpem à Trojanis Ducibus repetit. Et quidem nostris etiam temporibus, Comites Salmenſ. à peritia & fortitudine militari egregiè commendantur.

CAR=

CARMEN ULRICI BOLLINGERI.

NEc tu carminibus noſtris indictus abibis
Salmæa quondam ſtirpis IANE *decus.*
SALMA domus tibi dat præclarum nomen avitum,
Sanguinis antiquum cernitur unde genus.
Olim Trojanæ Dux hanc ab origine gentis,
Condidit ad Rheni flumina nota procul.
Sunt Bilionæo cognati ſtemmate Reges,
Qui Solymas arces incoluere diu.
Temporibus noſtris pariter Salmæa propago
Terrori diris hoſtibus eſſe ſolet.
Murus erat Trojæ quondam Priameius Hector
Jecit & in turpem caſtra Pelaſga fugam:
Sic hi Pannoniam defendunt fortibus armis,
Quam trux aſſiduo milite Turca premit.

JOANNA, ANDREÆ LIB. BARONIS JANIVILLÆ F. 3. Adavia paterna.

HUic JOANNA *thoro primo ſocieta marita*
E JANVILLÆA *ſtirpe creata fuit.*
Dedita tota Deo pietatis idonea cultrix,
Et quæ pauperibus munera larga dedit.

Quartus Adavus & Adavia paterna.

Illuſtriſſ. Princ. & Dominorum,

Dn. IOANN. FRIDERICI SPONSI, ET Dominor. Fratrum Ducum. Wyrtemb. Com. Mompelg.

ARNOLDus Liber Baro à Syrcka, quam arcem & urbem hodiè poſſident Duces Lotharingiæ, unà cum oppidis & arcibus Beriſa, Wolderſinga, Gemunda ad Saram &c.

ARNOL-

ARNOLDus Baro in Sircka, legitur haſtiludio interfuiſſe, quod actum eſt Darmſtadii, Anno Domini 1403. Vide haſtiludium 23.

CARMEN ULRICI BOLLINGERI.

LOtharingiacæ jacet arx in finibus oræ
SIRCKA vetus Dominis nobilitata ſuis.
Hinc magnum nomen priſci duxere Barones,
Illorum noſtro tempore fama viget.
Ex his ARNOLDus numeratur in ordine, quartus,
VVyrtembergiacos nobilis inter Avos.
Poſthabitis armis tranquillæ pacis amavit
Otia, quantumvis ſtrenuus enſe fuit.
Nam toties fregit ludis in equeſtribus haſtas,
Hic ubi Darmſtadiæ mœnia celſa jacent.

EVA JOANN. COM. RHENI FILIA.

4. Adavia paterna.

EVa thori conſors Rhenani ſanguinis Eva
Sincera coluit Relligione Deum.
Audiit attentè divini dogmata verbi,
Aſſiduo caſtas fudit ab ore preces.
Robus in anguſtis miſeris ſuccurrit, & illis
Auxiliatricem ſuppeditavit opem.

Quintus Adavus & Adavia paterna

Illuſtiſſimi Princ. & Domini,

Dn. IOANN. FRIDERICI SPONSI:

& Dominor. Fratr. Ducum Würt. C. M.

LUDOVICUS III Landgravius Heſſiæ, Comes Zigenheimius & Nidanus, Caſſellis aulæ ſedem habuit, & è vivis exceſſit An. 1471.

Uxor MECHTILDIS filia LUDOVICI Comit. Würtemb. & Mompelg. qui apud Vracenſes aulæ ſedem habuit, ibique Cœnobium Gütelſtein. fundavit: Anno 1438. Hæc MECHTILDIS frattem habuit EBERH. BARBATUM, qui primus Dux Würtemb. eſt ſalutatus, à Maxim. 1. Cæſare.

CARMEN ULRICI BOLLINGERI.

EX Adavis quintus fama ſuper æthera notus,
Heſſorum Princeps hic LUDOVICUS adeſt.
Et laudis conſors & nominis ille paterni,
In commune bonum commoda multa tulit.
Saxonica genitrice ſatus, Fortiſſimus Heros,
In Caſſellani ſede quievit agri.

MECHTILDIS LUDOVIC. COM. WYRTEMB. & Momp. filia: 5. Adavia paterna.

WYrtembergiacis generata parentibus uxor
MECHTILDIS peperit pignora pulchra thori.
Sunt hoc conjugio fœlici ſidere nati
VVILHELMUS Major frater, & inde Minor.

Sextus Adavus & Adavia paterna

Illuſtriſſ. Princ. & Dominorum,

Dn. IOANN. FRIDERICI SPONSI, ET Dominor. Fratrum Ducum. Wyrtemb. C. M.

MAGNUS II. Dux Megapolenſis & Vandaliæ: Princeps ingenio & animo magno: Fortuna uſus proſpera: cum ULRICO Duce Stargardiæ terram ſanctam (pro more illor. temporum) inviſit: Hoc extincto hæres ipſe Stargardiam poſſedit: Anno Domini 1471. Cathedralem Eccleſiam urbis Roſtoch. fundavit: Monaſteria Veſtalium, Rhenam & Sarentinam, filiabus

abus civium Lubecenſ. ſuas ob cauſas excluſis reformavit: Annis amplius triginta patriam cum laude gubernavit: Eximiam quandam reverentiam, erga litteratos exercuit, præter reliquas virtutes Sapiente Principe dignas. Ex hac vita migravit: Anno Domini 1503.

Uxor SOPHIA filia ERICI. II. Ducis Pomeran. diem obiit An. 1504. Sepulta Wiſmariæ apud Auguſtinianos.

CARMEN ULRICI BOLLINGERI.

NUnc Adavos inter ſeſe bis tertius offert,
Qui verè magni nomen & omen habet,
Vandaliæ Princeps MAGNUS virtute fideq́,
Ille domi MAGNUS MAGNUS & ille foris.
Luſtravit juvenis Solymam, Judææq́ regna,
Et ſub qua clauſus rupe Redemptor erat.
Inde redux Divo fundavit templa JACOBO,
Sunt ubi Roſtochiæ mœnia juncta mari.
SARENTINA ſacris & RHENA beata puellis
Stat domus in laudes officioſa Dei.
Legibus has informavit melioribus ambas,
Ut non impietas poſſit habere locum.
Muſarum ſtudiis & honeſtis artibus omnes
Excultos magno fovit amore viros.
Ut patriæ totis triginta præfuit annis.
Fata pium terris eripuere Ducem.

SOPHIA FIL. ERICI 2. DUCIS POMER.

6. Adavia paterna.

DUxerat hic ortam Pomerana ſtirpe SOPHIAM,
Principe quæ MAGNO fœmina digna fuit.
Moribus æquavit formaq́ decore Rachelam,
Æquavit gratæ fertilitate Leam.

Septimus Adavus & Adavia paterna

Illustriß. Princip. & Domini,

Dn. IOANN. FRIDERICI SPONSI,

& Dominorum Fratrum Ducum Würtemb.
Comitum Momp.

ALBERTUS Dux Saxon. Comes provincial. Thuring. Marchio Misniæ & Gubernator Frisiæ, natus patre FRIDERICO 2. Electore Grymæ ad Muldam Anno Domini 1443. 27. Jul. Anno ætatis undecimo, cum ERNESTO Fratre, ab equite Conrado Kauffungo, ex arce Aldenburg. raptus, sed divinitus servatus est. Princeps manu & armis promptus: Consiliis admirabilis: fortitudine in fervore bellico insuperabilis: Moderatione victoriæ, ipso hostium testimonio salutaris: Ab invicto animi robore, & magnitudine rerum gestarum vulgò ANIMOSUS: à Pontifice Romano, DEXTERA Imperii Romani: à milite Belgico ROLANDUS cognominatus: Gallos Belgio exturbavit, & paeem ibi restituit: Anno 1488. Infrenem Frisiam sub imperii habenas reduxit: Matthiam Regem Pannon. ad amplectendam pacem adegit: Imperii decus jam ruens, & bellicæ laudis gloriam recuperavit: Bohemiæ regnum sibi oblatum recusavit. Annabergam (hodiè proh dolor flammis exustam) condidit: In altera contra rebelles Frisios expeditione, ad Embdam decessit: Anno Domini 1500 Sepultus Misnæ.

Uxor ZEDENA, gemello partu edita, filia GEORGII POIEBRADI, Regis Bohem. Com. Bernecc. & Nidani, qui nec opum ostentatione nec periculor. metu, nec Pontificis Pauli 2. excommunicationibus à fua religione avelli potuit. Obiit ZEDENA, Anno 1510. ad latus mariti cum hoc epitaphio condita, auctore Fabritio:

ZEDENA BOHEMO de sanguine nata, Ducisq;
Saxoniæ conjunx intemerata fuit.

Candi-

Candida ſimplicitas, & morum pulchra venuſtas
Ornatu reliquo pulchra ſuere magis.
Arce Torentana moritur, Miſnaq́ quieſcit,
Quæ Matronarum ſplendida gemma fuit.

CARMEN ULRICI BOLLINGERI.

Septimus ex Adavis ALBERTUS *Miſnius heros*
Kauffungo fuerat raptus ab hoſte puer.
Inde peragravit (ſic tum mos ille ferebat)
Salvator CHRISTUS *quam pede preſſit humum.*
Huncq́ ſuæ Cæſar ſociavit Avunculus aulæ
Huic par invicto robore nullus erat.
Militiæ teneris eſt caſtra ſecutus ab annis,
Alter ut Æacides, alter ut Hector erat.
Pannonios domuit populos, Gallosq́ feroces,
Disjecit ſorti Belgica caſtra manu.
Ipſius attonitæ fugerunt arma cohortes,
Territa montanos ut fugit agna lupos.
Jam decus Imperij traxiſſet penè ruinam,
Si non ALBERTI *dextra tuliſſet opem.*
Imperij dextram dixerunt Auſones illum,
Non tulit huic magno pectore Roma parem.
Nomen ei fortis conceſſit Belga Rolandi
Quem domitum terra, quem ſuperavit aqua.
Huic Regis Genero ſceptrum voluere Boëmi
Tradere poſt ſoceri fata ſuprema ſenis.
Maluit ille tamen patrias defendere terras
Et muris urbes ædificare novis.
Hic Annabergam Sudetis ſtruxit in oris,
Vulcanus nuper cui mala damna dedit.
Poſt iterum Friſios dum forti Marte rebelles
Subdidit, Emdana clauſit in urbe diem.

Ossa Ducis patrio tristissima Misna sepulchro
Texit & ad veteres contumulavit Avos.

ZEDENA, FIL. GEORG. PODEBRADI. REG. Bohem. &c. 7. Adavia paterna.

Huic PODEBRADII *pulcherrima nata Boëmi*
Fœcundo fuerat consociata thoro.
Hac est BARBATUS *de matre* GEORGIUS *ortus*
Saxo qui Frisios depopulavit agros.
Heinricusq; Pius magnam qui condidit urbem,
Qua dives mons est virgo MARIA *tuus.*
Et qui Leucorei tot pulpita clara Lycæi
Struxit ad Albiacas Dux FRIDERICUS *aquas.*

Octavus Adavus & Adavia paterna

Illustrissimi Princ. & Domini,

Dn. IOANN. FRIDERICI SPONSI: & Dominor. Fratr. Ducum Würt. C. M.

CASIMIRUS Magnus Dux Lithuaniæ, fratre Uladislao in bello ad Varnam amisso, Rex Poloniæ est inunctus An. Dom. 1447. Incredibili virtute regnum contra potentiss. hostes defendit: Contra Matthiam Ungar. Regem in Silesia bellum gessit; Stephano Valachiæ Palatino, ad Turcas profligandos adjumento fuit; Prussiam perdomuit, cruciferis supplicibus tandem pacem dedit: Vicissim autem per defectionem ad Moschos amisit dominatum Severiens. & domesticos motus sensit à filio primogenito Uladislao, ob acceptam Hungariam. Lenta febri consumptus, inter vivos esse desiit, Anno 1492. Sepult. Cracoviæ.

Uxor ELISABETHA Filia ALBERTI Archiduc. Austr. qui post obitum Soceri Cæsaris Sigismundi, Rex Ungar. & Bohem. & tandem Imperat. Roman. est designatus. Hunc patrem

trem Regem habuit Eliſabetha: Habuit & fratrem Regem Bohem. & Ungar. LADISLAUM; Habuit & 4. Filios Reges; 1. ULADISLAUM, Bohem. & Ungar. Reg. 2. Joann. Albertum. 3. Alexandr. 4. Sigiſmundum; omnes Reges Polon. ſibi ſuccedentes.

CARMEN ULRICI BOLLINGERI.

AT quo cantabo CASIMIRUM carmine Regem,
Ordine bis quarto qui numeratur Avus?
Hunc poſt fata patris Regem legére Poloni,
Attulerant fratri Varnica bella necem.
Hic procul ejecit Mariani militis agmen,
Damna Poloniaci cum paterentur agri.
Omnia reſtituit Regnis ablata paternis,
Tartarico prædam victor ab hoſte tulit.
Non tulit hoſtiles gladios inferre RUTHENIS,
Inq́ Podoliaco bella movere ſolo.
Cum POIEBRADIO pacis nova fœdera fecit,
Hic ubi Glogovios Odera lambit agros.
Longævus natis regnorum ſceptra reliquit,
Ut tres atque decem vixit Olympiadas.

ELISABETHA FIL. ALBERT. ROMAN. UNG. & Bohem. R. 8. Adavia paterna.

AUſtriaca generata domo præluſtris ELISA,
Auxit progeniem Rex CASIMIRE tuam.
Hæc habuit Regemq́ patrem, Regemq́ maritum:
Et Regum genitrix, Regis & ipſa ſoror.
Prögenuit multam fœcunda puerpera prolem,
Signa quot in Cœlo orbita Solis habet.
Quattuor ex illis ſceptrum tenuere paternum,
Et Scythiæ populos edomuêre truces.

Sparta-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: , [17] - uncounted

Spartani laudant, quòd Mater Regis, & uxor
Et quòd LAMPEDO *Filia Regis erat.*
Nos potius CASIMIRE *tuam celebremus* ELISAM,
In mare dum geliaas Viſtula volvit aquas.

Sequuntur ſtirpis maternæ Anhalt. Octo Adavi & Adaviæ.

Primus Adavus & Adavia materna.

Illuſtriß. Princip. & Dominorum,

Dn. IOANN. FRIDERICI SPONSI:

& Dominorum. Fratrum Ducum Würtemb. Com. Mompelig.

GEORGIUS (Senior dictus, ob filium ejuſdem nominis) Princip. Anhaltin. Com. Aſcan. & Dynaſta Bernburg. Filius SIGISMUNDI Princ. Anhalt. qui curiam ſuam Serveſtæ habuit, & pro RODOLPHO electo Cæſare apud Fritzlar. ſtrennuè pugnavit Anno Dom. 1400.

Quatuor uxores ſibi ſuccedentes habuit: EVPHEMIAM, Fil. Conradi Ducis Oſſenſis in Sileſia: viduam ALBERTI ultimi Saxon Electoris. 2. MECHTILDIN Soror germanam BERNHARDI, ultimi Dynaſtæ Berenburg 3. SOPHIAM, Fil. Sigiſmundi, Comit. Honſtein. 4. ANNAM (noſtram Adaviam) Filiam Alberti Comit. Ruppin. & Lindav.

CARMEN ULRICI BOLLINGERI.

A Scanios Adavos bis quatuor ordine pandam,
Nunc iterum vires ſuppeditante Deo:
Quos inter prima ſe fronte GEORGIUS *offert,*
De quo pauca quidem fama vetuſta canit.

Fortis

Fortis ANHALTINUS *Princeps post fata parentis,*
Qui SIGISMUNDI *nomine dictus erat:*
Ascanios populos instruxit legibus æquis,
Et patriæ tutos fecit ab hoste focos.
Conjugio quater indulsit fœlixq; maritus
Factus & est fœlix prole frequente pater.
ALBERTUS *Saxo primam post fata reliquit,*
Quæ fuit Offensis filia pulchra Ducis.
Altera chara Soror BERNHARDI *Principis olim,*
Bernburgæ *Dominus qui ditionis erat.*
Tertia conjugium subiit Generosa SOPHIA
Ex Honsteiniaca *virgo creata domo.*

ANNA, FIL. ALBERTI COMIT. RUPPIN. & Lindavienſ. 1. Adavia materna.

Filia Ruppini *Comitis fuit ultima conjunx,*
Mater & Ernesti Principis illa fuit:
Qui magno sumptu posuit fundamina templi,
Quæ stant antiquæ mœnia DESSAVIÆ.

Secundus Adavus & Adavia materna *Illuſtriſſ. Princip. & Domini,* Dn. IOANN. FRIDERICI SPONSI, & Principum Fratrum Ducum Würtemb. Comitum Momp.

HEINRICUS, Comes Berneccius, Nidanus & Glacenſis, Dux Münſterberg. in Sileſia creatus à FRIDER. III. Imperatore, Anno Dom. 1462. Paterna ditione Pojebradia (habuit enim Patrem GEORG. Pojebrad. Regni Bohemiæ gubernatorem, & poſtea Regem) relicta, eam conceſſit Uladiſ-

lao Casimiri Reg. Poloniæ filio, quem post obitum Pojebradii Boëmi Regem creaverunt: Ipse verò Heinricus noster, viciſſim ab Uladislao accepit Ducatum Olſnicenſem & Volavienſem; Anno Dom. 1495. Non tulit injurias Pontificis Patri illatas, ſed in Sileſia vindictam exercuit, multis Sacerdotum bonis direptis, circa Ann. Dom. 1469.

Uxores ejus fuerunt duæ: 1. ANNA, Filia Gwilielm. Duc. Saxon. & March. Miſniæ, quam duxit Ann. Dom. 1457. 2. URSULA, Filia Alberti ACHILLIS Germanici Electoris Brandenburg. ex uxore MARGARETHA Fil. Jacobi March. Badenſis.

CARMEN ULRICI BOLLINGERI.

PRoximus HEINRICUS *ſequitur quem* Glotza *Dynaſtam*
Agnovit, Comitem quem quoq; Nida *ſuum.*
Quem Pojebradiis *genitum natalibus auxit*
Münſterbergæi *Cæſar honore Ducis.*
Ut Danaas *acies olim* Telamonius *Ajax,*
In turpem vertit ſæva per arma fugam:
Sic hic Hunniadem *bellis ingentibus boſtem*
Avertit patriis finibus atq; locis.
Glogoviaque *feras pulſavit ab urbe cohortes*
Dura gerens forti pro patre bella manu.
Namq; Patrem POIEBRADIUM *nil tale merentem*
Oderat Auſonia Præſul in urbe malus,
Hinc Mars Sileſias urbes evertit, & aras
Quam latè paſſim rura Boëmus *arat.*

URSULA FIL. ALBERTI ACHILLIS GERM. Elect. Brand. 2. Adavia materna.

VXorem primam poſtquam Duce Saxone natam
Duxerat HEINRICUS, *pignora nulla tulit.*

Altera

Altera BRANDENburgiaci *succeßit Achillis*
Filia, fœcundo lata puerperio.
Namq; trium fuit illa Ducum celeberrima Mater,
Münſterbergiacum *prodiit unde genus.*

Tertius Adavus & Adavia materna

Illuſtriß. Princ. & Dominorum,

Dn. IOANN. FRIDERICI SPONSI, ET Fratrum Ducum Wyrtemb. & Tecc. C. M.

JOANNES Marchio Brandenburg. Elector, Dux Pomer. Stetini, Caſſubor. & Vandalor. Burggrav. Noriberg. educatus in aula FRIDER. patrui, contra Pomeranos militantis Anno 1464. ubi pyrocinium fecit. Croſnam, Zulchium, Sommersfeld. & Boberoſpergam, devicto Joann. Duce Sagano, pro dotalitio Sororis Barbaræ, quam Heinric. II. Dux Glogov. & Croſnenſ. duxerat, eiq́ue ducatum legaverat, retinuit, & ad familiam Brandenb. tranſtulit; Anno 1482. In Electoratu Patri ſucceſſit, Anno 1486. Et ut Pater Achillis Græci Ducis cognomen, per fortitudinem bellicam. Sic hic Joannes Filius, Latini Oratoris Ciceronis cognomen ad poſteros tranſmiſit, ab eloquentia admirandâ, cujus ſpecimen egregium edidit Vratislaviæ; in conventu multor. Regum & Principum, ubi cauſſam egit inter Matthiam Reg. Ungar. Caſimirum Reg. Polon. & Ladislaum Reg. Bohemiæ, de Sileſia Moraviaq́; bello funeſto contendentes, ut poſt aliquot horas pacem inter eos componeret, & Germaniam à metu belli liberaret: An. 1489.

Magnus inde dictus eſt, non tam ob proceram & heroicam corporis gravitatem, quam ob ſummam auctoritatem per orbem Imperii, qua plurimum excelluit, per omnem vitam.

Moriturus denique Filio Joach. I. in Electorali dignitate Succeſſori, Eccleſiæ & Politiæ curam diligenter commenda-

vit, & paulò pòst in Domino obdormivit, Anno ætatis 44. Anno Domini 1499. Sepultus Berlini.

Uxorem duxit, An. Dom. 1476. MARGARETHAM, Filiam Guilielmi Duc. Sax. Landgr. Thuring. March. Misn.

CARMEN ULRICI BOLLINGERI.

AT nunc JOANNEM tam re quam nomine MAGNUM
Ponimus, hunc etiam secula prisca canunt:
Brandenburgiacis *erat hic Elector in oris,*
Corpore MAGNUS erat, MAGNUS & ingenio:
Alter ut Arpinas excelluit ore diserto,
Et lingua vicit Nestoris eloquium:
Composuit Reges crudelia bella gerentes,
Qua Breslam *puris Odera lambit aquis.*
Et nato sancta præcepta salubria vitæ
Tradidit, extremum funeris ante diem:
Ut semper metuens divini numinis esset,
Et coleret sancta relligione DEUM:
Esset ut in pœnis clemens, & tardus ad iram,
Sanctarum Legum justitiæq; tenax:
Oppressos homines dextra victrice juvaret,
Non illos sineret vimq; dolumq; pati.
Non indulgeret Polyphemis atq; Tyrannis,
Qui male persuadent cuncta licère sibi.
His dictis vitam clausit, postq; reliquit
Hæredem patriæ te JOACHIME soli.

MARGARETHA FIL. GVILIELM. DVC. SAX. Landtgr. Thuring. March. Misn. ex ANNA Alberti 2. Cæs. F. 3. Adavia materna.

MARGARIS huic conjux GVILIELMO nata parente,
Misnica, fœminei laus q; decusq; chori:
Brandenburgiacos *Dominos Dominasq; potentes*
Non infœcundo protulit illa sinu.

Est

Est cœleste bonum robustæ copia prolis,
Qui possunt patriis commoda ferre focis.

Quartus Adavus & Adavia materna

Illustriss. Princip. & Dominorum,

Dn. IOANN. FRIDERICI DVC. SPONSI: & Dominor. Fratrum Ducum Wyrt. C. M.

JOANNES Dei Gratia, Rex Dan. Norweg. & Suec. Gothor. Vandalor. Natus patre Christiano I. Rege Dan. Ann. 1455. Superstite patre Ducatum Slesvic. item Stormar. & Diethmarf. gubernavit 1478. Postea hæres illor. regnor. Septentrional. contra Diethmarsos rebelles pugnavit. Superatus tamen, fuga vitam servavit, Anno 1500. Cùm etiam Suecos non æquos adeò sentiret, venit quidem in Sueciam cum uxore Regina, eamque ibi reliquit, ipse in Daniam rediit. At verò Steno Stuer Gubernator Sueciæ, mota seditione, eam in urbe Stocholm. cepit, & in custodiam dedit, in Monasterio Wastensi, & post biennium minis Legati Reimundi, qui Imperatoris & Pontificis mandatis erat instructus; perterritus, eam in Dan. reduxit. Hanc injuriam ulturus Rex conscripta manu 50000. hominum, hostili in Suecos animo perrexit, sed victus navali prælio, re infecta cessit. 1509. Post multa denique bella, diem obiit Alburgæ in Juthia; Anno 1513. Othoniæ sepultus.

Uxor CHRISTINA. ERNESTI Duc. Sax. Elect. Landtgrav. Thuring. March. Misn. Fratris ALBERTI Animosi (quem supra posuimus 7. Adavum patern.) Filia: nata Torgæ, An. 1462. 6. Calend. Octobr. Desponsata Joann. Reg. Dan. Ann. 1478. Decessit sexagenaria; Anno 1521.

CARMEN ULRICI BOLLINGERI.

NUnc Adavos inter clarum ceu sidus Olympi
Splendet, & in manibus Regia sceptra gerit.

Hic eſt Joannes, *Danos Succosq́ feroces,*
Et Gothos domuit Vandaliosq́ truces.
Diethmarſos *oppugnavit, populosq́ rebelles*
Compulit Imperii ſubdere colla jugo.
Huic uni dederat Genitor Borealia regna,
Non ſine permiſſu Rex Friderice *tuo.*
Magnus erat bello, major pietate fideq́,
Et ſcelerum vindex durus & aſper erat.

CHRISTINA FIL. ERNESTI DUC. SAX.

Landtgr. Thuring. 4. Adavia materna.

Hic habuit ſociam Christinæ *nomine dictam,*
Saxonicam, Christi *quam decoravit amor.*
Hanc olim rigidi Sueci nil tale merentem,
Per multos captam detinuere dies.
Elapſis geminis annis eſt ſalva reducta,
At Sueci pœnas perſoluere graves.
Hæc genuit Christi *dictum de nomine Regem,*
Qui Suecos magnis viribus edomuit.

Quintus Adavus & Adavia materna.

Illuſtriſſ. Princip. & Domin.

Dn. IOANN. FRIDERICI SPONSI, ET Dominor. Fratrum Ducum Wyrtt. & Tec. C. M.

Guntherus, Comes Barbienſis, Dominus Mulingę: Compoſuit litem inter Magdeburgic. & Lunæburgic. Oppidum Eglenſe cum arce Archiepiſcopo Magdeburg. 4000. ſexagenis Bohemicis oppignoraſſe legitur. Obiit ſenex, Anno ætatis 76. prid. Cal. Dec. Anno Dom. 1493.

Uxor Catharina, Filia Bernhardi Comit. Reinſteinii, Dynaſtæ Blancoburgii: Conſpiciuntur hodiè circa Blancoburg. rudera arcis Reinſteiniæ ſcamna, ſubſellia, menſæ, præſepia, contignationum promptuaria, ex mera petra effabricata.

CAR-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: , [24] - uncounted

CARMEN ULRICI BOLLINGERI.

AT jam GUNTHERUS *se nobis* BARBIUS *offert,*
Antiquos inter connumerandus Avos.
Pacis amans sedes Eglæ veteris q. Mulinga
Obtinuit lata sub ditione Comes.
Lunæburgiacus *Princeps cùm tempore quodam*
Vastaret sævo milite Parthenopen,
Non tulit hoc bellum GUNTHERUS, *& ipse sequestrum*
Se medium tantis litibus imposuit.
Fœlices illos, pacis qui fœdera tractant,
Qui tollunt pugnas & grave Martis opus.

CATHARINA FIL. BERNHARDI COMIT. Reinst. Dom. Blancenb. 5. Adavia materna.

*HIc (*GUNTHERUS*) Reinsteinæa vitam cum conjuge longam*
Duxit lustrorum quinq. decemq. senex.
Burckhardum natum post funera sera reliquit,
Hæres qui fratres unicus inter erat.

Sextus Adavus & Adavia materna

Illustrissimi Princ. & Domini,

Dn. IOANN. FRIDERICI SPONSI: & Dominor. Fratr. Ducum Wyrt. & Tecc. C. M.

HEINRICUS Dux Stargardiæ, ULRICI Fil. JOANNIS Nepos, qui à Carol. IV. Cæsare in Princip. Imperii lectus est Anno 1370.

Hujus uxor 1. ENGELBURGA, Duc. Stetinens. Filia, ἄπαις. 2. MARGARETHA, Filia Friderici Duc. Brunsuic. & Lunæb. qui Cœnob. Franciscanor. Cellis extruxit: Anno 1454. in quo defuncto marito Duce HEINRICO, MARGARETHA consenuit.

CAR-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: , [25] - uncounted PUBLIC DOMAIN

CARMEN ULRICI BOLLINGERI.

PRoximus insequitur Stargardæ *gloria gentis*
Regibus HEINRICUS *progeneratus Avis.*
ANTHTRIUS Rex primus erat, qui sanguinis auctor
Fertur, & in bello fortis & acer erat.
Vandalicis & Sarmaticis regnavit in oris,
Vistula qua volvit, quaq; Visurgis aquas.
Magnus ALEXANDER *dedit huic insigniat auri,*
Bucephali fertur frons ea talis equi.

MARGARETHA FIL. FRID. DUC. BRUNSVVIC. & Lunæb. 6. Adavia materna.

PRima thori consors HEINRICO *tradita nuptum,*
Edidit in sterili pignora nulla thoro.
Altera Lunæburgiaco *de sanguine nata,*
Protulit è blando pignora bina sinu.
MAGDALIN, ULRICUMq; Ducem, qui triste venenum
Hausit, & infœlix occidit ante diem.
Ad CELLAM *rediit Mater post fata mariti,*
Molliter in patrio consenuit q; solo.

Septimus Adavus & Adavia materna

Illustriss. Princip. & Domin.

Dn. IOAN. FRIDERICI SPONSI, & Dominor. Fratrum Duc. Würt. & Tecc. C. M.

ERNESTUS Com. Mansf. natus Patre GUNTHERO III. Com. Mansfeld. qui Fridenburg. titulo emptionis acquisivit, Anno 1442. Hic ERNESTUS diem obiit, An. 1486.

Uxor MARGARETHA, Filia GEBHARDI Com. Mansfeld. Nobilis Dom. Helderungæ, quam Pater emptione acquisivit, à Comitib. Honstein. Hæc defuncto marito ERNESTO, matrimonio juncta est HEINRICO Comiti Wiedano.

CAR-

CARMEN ULRICI BOLLINGERI.

IMperii Comes ERNESTUS Mansfeldius *Heros*
Maternos etiam ponitur inter Avos,
Qui res imperii juvit virtute fideq́,
Non etiam patriæ defuit ille ſuæ:
Conſtituit foſſas æris telluris in imo
Viſcere, qua Plutiſtat tenebroſa domus.

MARGARETHA, FIL. GEBHARDI, COM. Mansf. Nobil. Dom. Helderungæ. 7. Adavia materna.

MARGARIS Heldrungæ *ſtirpis pulcherrima Mater*
ERNESTO peperit quattuor illa mares.
Hinc numeroſorum ſoboles eſt nata nepotum,
Quorum perpetuò tempore fama manet.

Octavus Adavus & Adavia materna *Illuſtriſſimi Princ. & Domini,*

Dn. IOANN. FRIDERICI SPONSI: & Dominor. Fratr. Ducum Wyrt. & Tecc. C. M.

CAROLUS, Comes Gleichenſis, natus patre Ludovico, Avo ERNESTO: qui militavit Friderico 2. Sax. Elect. adverſus Vicethummos, multas excurſiones faciens in Thuring. circa Dornberg. & Camberg. direptiones exercuit An. 1447.

Hujus Uxor FELIX, Filia JOANN. Comit. Beichlingani, quæ marito defuncto ſecundas nuptias acceſſit, juncta ERNESTO, Com. Honſteinio.

CARMEN ULRICI BOLLINGERI.

CAROLUS hoc etiam memorandus in ordine reſtat,
Gleichica cui quondam ſubdita terra fuit.
Huic laus haſtatas bello ductare cohortes
Marteq́ gaudentes antevolare viros.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: , [27] - uncounted PUBLIC DOMAIN

Gaudebat primus ſcalis aſcendere muros,
Gaudebat pugnam primus inire manu.
O nobis etiam tales Heroas, ut olim,
In Mahometigenas ſecula noſtra ferant.
Non ita nos Geticus miſeranda clade Tyrannus
Perderet, & noſtros depopularet agros.

FELIX, FIL. JOANN. COM. BEICHLING.

HUic eſt juncta thoro Felix Beichlingia *virgo,*
Et magis eſt Felix *reddita prole novâ.*
Infelix tamen eſt tanto viduata Marito,
In toto Felix *heu nihil orbe manet.*

NICOD. FRISCHL. ELEG. LIB. VI.
De Principib. Wyrttemb.

NAm ſi praluſtri veniunt â ſanguine mores,
Et generis ſequitur ſemina quiſq; ſui:
Wyrttembergiaco Comitum *de ſtemmate nemo*
Subdolus, aut mendax, aut levis ore fuit.
Wyrttembergiacis *omnes natalibus orti*
Sincera ſemper mente fuere graves.
Utq; fuere graves aliis, ſic civibus aqui,
Supplicis & nunquam prateriere preces.
Omnis ab his faſtus, procul omnis luxus, & omnis
Vis injuſta procul, fraus odioſa procul.
Hic Pietas, hic cana Fides, hic vivida bello
Dextera non ullos perdere nata lares, &c.

Accla-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: , [28] - uncounted

Acclamatio

AD

Illustriss. ac Celsiss. Princ. & Dom.

DN. IOANN. FRIDERIC.

DVCEM VVTRTEMB. ET TECC. COM: MOMPELIG. Dn. HERICUR. Heidenheim, Oberkürch, &c.

Dominum meum Clementissimum,

PRO FOELICI GUBERNATIONE


Humilimæ congratulationis ergò, tempore præstiti homagii edita, Anno 1608. 4. Febr.

AB

Vlrico Bollingero, M. & P. C. Eccles. Schleittorff. diœcesi. Tubing. Pastore.

EODEM AVCTORE, ACCESSIT ELEGIdion, in ejusdem Illustrissimi Principis, &c. Domini Parentis, Dn. FRIDERICI, *pium & beatum obitum.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: , [29] - uncounted PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: , [30] - uncounted PUBLIC DOMAIN

IOANNEM rursus FRIDERICUM dicite Musa,
VVyrtembergiaco sanguine progenitum.
Septimo hic nostro numeratur tẽpore Princeps
Qui VVyrtenbergam sub ditione regunt.

Eberhardus Barbatus I. Dux VVyrttemb.

Primus EBERHARDUS BARBATUS nomine dictus,
Ludvvico quondam progenitore satus.
Ille Ducis nomen primus titulosq; superbos
Virtutum veris laudibus emeruit.
Ante quidem comites illo de sanguine cretos
Non paucos numero secula prisca canunt.
Arbiter Imperii sed Maximus Æmilianus

Anno 1495. 21 Iulii.

Hunc primum voluit nomen habere Ducis.
Nam pius ille fuit, multas & condidit aras,
Et coluit multa relligione DEUM.
Et Musis sedem fundavit in urbe Tybinga.

Anno 1477.

Quam liquidus ambit Neccarus uber aquis.
Erexitq; domum Petri de nomine dictam.

Anno 1492.

Hic ubi de fagis sylva vocata jacet.
Vitales auras extinctus febre reliquit.
Extinxit famam non tamen ulla dies.

Eberhardus Junior II. Dux VVyrttemb. Anno 1497.

Inde Ducis nomen per tempora pauca secundus
Non aquis adeo viribus obtinuit.
Inde Palatinas ultrò secessit in oras,
Clausit ibi vitæ fata suprema suæ.
Huic è fratre Nepos patriis successit in agris
Tertius ULRICI nomine, penè puer.

Vlricus III. Dux VVyrttemb. Anno 1503.

Pulsus in exilium per messes quinq; decemq;
Adversæ sortis multa pericla tulit.
At postquam patriis est tandem redditus oris,
Non sine præsidiis Hasse Philippe tuis.

Et ſe tam longo ſolvit gens ſubdita luctu,
Ipſa priùs facie Principis orba ſui.
Ille redux templis tunc inſtauravit honores,
Non paſſus falſis ritibus eſſe locum.
Et Muſis habitacla dedit ſedemq; quietam,
Mœnibus adjunctam clara Tybinga tuis.
Tres annos vita bis ſex & luſtra peregit,
Et benè defendit relligionis opus.

Chriſtopho rus IV. Dux VVyrttemb. Anno 1550.

Quartus CHRISTOPHORUS Sapiens cognomine dictus,
Notus in Eois Heſperiisq; plagis.
Hic in Cœnobiis pueros ſuſcepit alendos,
Et veſtes illis præbuit atq; cibos.
Addidit his doctos Abbates atq; Magiſtros,
Admonitu quorum cuncta decenter eant.
Hic coluit grata ſanctiſſima fœdera pacis,
Ortis ſe medium litibus oppoſuit.
Teſtis Arar, Rhodanusq; celer, magnusq; Garumna,
Cum Nicro teſtes Rhenus & Iſter erunt.

Ludovicus V. Dux VVyrttemb. Anno 1569.

Hoc Genitore ſatus LUDOVICUS in ordine quintus
Subjectis populis Dux pius atq; bonus.
Mœcœnas fuit ille bonas non parcus in artes,
Ditavit Muſas clara Tybinga tuas.
Tercentum Juvenes Muſarum caſtra ſequentes
Hos aluit ſumtu divite, terq; decem.

Fridericus VI. Dux VVyrttemb. Anno 1593.

Hoc rapto geßit FRIDERICUS nuper habenas
Dux ſextus, cujus fama per aſtra volat.
Hunc noſtra dudum decantavère Camœna,
Heu, jam defunctum noſtra Thalia dolet.
Oppida firmavit, munivit turribus arces,
Addidit & ſacris ſedibus ipſe domos.
Nuper in exciſis ſtatuit nova mœnia ſylvis,
Quæ de latitia nomen & omen habent.

VVyrt-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: , [32] - uncounted

VVyrttembergiacas auxit ditionibis oras,
Et juſtè partos amplificavit agros.
Jam ſceptris ſubiit Princeps FRIDERICUS IANUS
Septimus, antiquis aquiparandus avis.
BARBATUM ſequitur vera pietate fideq́, ,
A teneris didicit dogmata ſancta DEI.
Et (velut ULRICUS) *patiens eſt tempore duro,*
Fortuna doctus non timuiſſe vices.
Eſt animus ſapiens, eſt multa peritia rerum,
CHRISTOPHORUM poterit qua ſuperare Ducem.
Eſt huic larga manus qualem LUDOVICUS *habebat,*
Qua promptam m ſeris ferre ſolebat opem.
Et velut ante Pater linguas artesq́, fovebat,
Quapropter longum per mare fecit iter.
Hic varia pariter novit commercia lingua,
Anglica ſive velit, Gallica ſive loqui:
Italicas ivit juvenis Belgasq́, per oras,
Ivit & ad regnum terra Britanna tuum.
Liligeri Regis peragravit protinus oras,
Cujus ab hoſpitio dona benigna tulit.
Quin & Caſarea gratum ſe fecit in aula,
Et ſtetit ante tuum Dive Rodolphe thronum.
Vos ô Pierides, & vos ô ſubdita turba,
Solvite veſtra DEO *pro Duce vota novo:*
Ut fortunato curſu per Neſtoris annos
Vivat, & in longos ſit ſuper usq́, dies.
Vivant unanimes fraterno ſanguine juncti,
Ut ſunt quinq́, Duces ſic erit unus amor.
Quattuor & vivant Dominâ cum Matre Sorores,
Omnibus orbatis eſt DEUS *ipſe Pater.*
Subditus id populus non ficto corde precatur,
Audiat ô clemens hæc pia vota DEUS.

Elegi-

Iohannes Fridericus VII. Dux VVyrttemb. Anno 1608. Æ. 9.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: . [33] - uncounted

Elegidion:

In pium & beatum obitum,

Illuſtriſsimi, Fortiſsimi & Clementiſsimi Principis ac Domini:

Dn. FRIDERICI:

DVCIS VVYRTEMB. ET TECC. COM. MOMPELIG. Dn. HERICUR. Heidenb. & Oberkürch, aliarumq; ditionum: Ordinis Gallic. & Ang. Equitis Aurati, torquati.

ILle ego qui ſcripſi jucundo carmine nuper
VVyrtembergiaci jubila læta Ducis:
Exactus fuerat cui quinquageſimus annus,
Tempore qui priſco jubilus annus erat.
Nunc vice converſa lugubria carmina pangam,
Heu quia nunc obiit Dux bonus ille diem.
Nuper in hoc mundo ceu jubila læta peregit,
Sic nunc in celſo jubilat ille polo.
Ipſe quidem ſtatus eſt alius, ſed carminis hujus,
Materies eadem jam ſatis apta manet.
Debita quæ fuerant donavit, Iubilus annus,
Excuſſos opibus reſtituitque viros.
Contulit amiſſum jus libertatis ubique,
Ad patrios cives quosque reduxit agros.
Hic Dux ſic non eſt naturæ debitor ultra,
Contemnitque tuas Mors inimica minas.
Hic fruitur Cœli jam libertate quieta,
Ætheria factus civis in arce poli.
Hic Paradiſiaci poſſeſſor jam novus horti
Angelicos inter jubilat ipſe choros.
Hic inter ſuperos Equites cum laude triumphat,
Ambit & æterno flore corona caput.
Salve Dux FRIDERICE, tibi tua parta manebit
Gloria, per longos non peritura dies.

Pane-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: , [34] - uncounted

Panegyrici tres,

De

VITA, REBVS GESTIS, ET OBITV

Illustrissimi & Fortissimi Principis

& Domini, Dn.

GEORGII

PRINCIPIS WYRTEMB.

ET TECCII, COMITIS

MOMPELIGARD. &c.


Heroico carmine conscripti.

Auctore

VLRICO BOLLINGERO,

Art. Mag. Poët. coron. & Ecclesiast.

in agro Schleittorff.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: , [36] - uncounted

AD ILLUSTRISSIM. FORTISSIM. & Clementißim. Principem & Domin.

Dn. FRIDERICVM: DVCEM VVYRTEMBERG, ET TECCIVM, COMITEM Mompeligard. Dn. Hericur. & in Heidenheim:

Regiorum antiquißimorum Ordinum,

In Gallia, S. MICHAELIS Archangeli:

In Anglia, D. GEORGII Carterior.

Equitem Auratum,

Torquatum, &c.

ILluſtriſsime, Fortiſsime, & Clementiſsime Princeps: Quos tres Panegyricos humiliter offero. de Vita, Rebus geſtis, & ſancto obitu Dn. Parentis. Dn. GEORGII Mompelg. Illuſtriſsimi & Fortiſsimi Principis & Domini: ad eos conſcribendos ſatis multæ & graves cauſſæ me impulerunt.

Recenſentur cauſſæ dedicationis.

1.

De Ill. Prine. Dn. GEORG. pauca literis ſunt mandata.

Indignum erat adeò, tot Hiſtoricos tam multa, plena laudibus, de Rebus geſtis Illuſtriſsimor. Principum VVyrttemberg. literis mandare: nulla facta mentione de Dn. Principe GEORGIO, Com. Mompelg. quem Illuſtriſsima Celſitudo Veſtra chariſsimum Parentem habuit: de quo cùm materiam ſatis copioſam habuiſſent, & Oceanum aliquem præclariſsimarum virtutum, neſcio tamen qua negligentia id prætermiſerint.

Et quos ego vidi Hiſtoriographos aliquammultos antiquiores & recentiores, omnem illi campum dicendi, in aliis Majoribus I. C. V. ſatis benè excolentes; vix ſe-

mel ad Principis hujus Fortiſsimi vitam ſpectatiſsimam excurrunt, quod non ſine indignatione obſervavi: Quaſi verò Magnanimus ille Heros, per tot annorum curriculum, quo ætatem ſexagenariam peregit, non etiam viderit, tulerit, geſſerit, quæ pulcherrimam & jucundiſsimam hiſtoriam requirant.

Quidam IOANN. TETTINGERUS Profeſſor artis Poëticæ in Academ. Friburg. tempore Ducis VLRICI VVyrtemb. Bellum à Fœderatis illatum, heroico carmine decantavit, idq; duobus libris magno verſuum numero: At neq; in priore, qui uſq; ad exilium D. VLRICI deducitur, ubi leguntur carmina 1712. nec in poſteriore libro, qui bellum ruſticum, & reditum D. VLRICI tractat, carminibus 1465. nec in tribus Commentariorũ libris, ſoluta oratione ſcriptis, ullam vel tantillam mentionem de Illuſtriſsimo Dn. Patre, Princ. Dn. GEORGIO facit.

Eatempeſtate, qua Dux VLRICUS Landgravii PHILIPPI armis eſt reſtitutus, hinc inde gratulationes variæ in proſa & ligata evolitarunt: de Illuſtriſsimo D. Principe GEORGIO ne gry quidem. Non dicam, quòd hactenus, quem ego ſciam, nemo Doctorum, Poëtarum, Hiſtoricorum, ex profeſſo, de innocentiſsima & integerrima vita, de magnificis & fortiſsimis rebus geſtis, de pio beatoq; obitu hujus Principis ad memoriam Poſteritatis tranſmiſerit, aut ingenium in hac materia exercuerit.

2. *Multa res geſtæ Dn. Principis GEORGII.*

Verumenimverò non ſolùm ipſa honeſtas, & jucundiſsima harum rerum voluptas: verùm multò magis utilitas inſignis, adeoq; ipſa neceſsitas poſtulat, ut virtutes in hoc Domino Principe, omni laude digniſsimo, ut in theatro quodam, Poſteris ſpectandæ proponantur, & nulla unquam oblivione ſepeliantur.

3. *Iucunda eſt hiſtoria de Dn. Fr. GEORG.*

Nunquid Ill. C.V. vix biennium exceſſerat, quo tempore Illuſtriſs. Dn. Parens, ſanctę memoriæ, in vivis eſſe deſiit: adeoq; propter infantiam: neq; ipſum ex aſpectu notum ſatis habere, neque rerum præclarè adeo geſtarum,

rum, quæ hîc in medium à me producuntur, ſpectatrix eſſe potuit: quarum lectione fieri non poteſt, quin Ill. C. V. jucundiſsimè afficiatur?

Et quidem uſum non mediocrem horum Panegyricorum Illuſtriſsimi Principes juniores, in novo Collegio Tübingenſi (cujus perfectio fœliciſsima Ill. C. V. accepta refertur) pietati & bonis artibus egregiam operam navantes, haurire poterunt: ubi incitabuntur ad omnis generis actiones piè & laudabiliter, more Majorum & Avorum ſuorum, inſtituendas.

4. *Utiliſsima eſt poſteru.*

Hæc cùm ita ſe habeant, operæ precium me feciſſe exiſtimo in hoc Poëmate exarando, quod ſanè non unius anni laborem poſtulavit: quia apud Hiſtoricos, qui ſunt in publico, adeò pauca extabant, ego partim è manuſcriptis ſchediaſmatis, partim ex ore eorum, quibus Ill. C. V. chariſsimus Dn. Parens notus fuit, hinc inde conquirere, in ordinem diſponere, idoneis verbis & ſententiis, nõ ſine artificio Poëtico accommodare, poſtea mea manu ſingula transſcribendo reiterare coactus fui: quanta cum fide, diligentia & ornatu id prẽſtiterim, in arte Poëtica exercitati Critici judicantes, me commẽdaverunt, & ex eorum numero primarius quidam, dato Privilegio Cæſario, Laureolæ Poëticæ honores in me contulit. Quod ſi Ill. C. V. ita voluerit, magis exquiſitam Cenſuram non invitus admitto, ut qui non per calorem effundere, Poëtaſtrorum more, quicquid in buccam venit: ſed ad vivum examinare ſingula & numerare ſoleo, ut Principum lectione non indigna æſtimentur.

BOLLINGERVS Laurea donatur.

De his quidem omnibus, in quibus mei Panegyrici verſantur, adſunt etiam vivi teſtes, inter Aulicos Nobiles, qui ſunt hodie ſuperſtites, Generoſi viri:

5. *Viva ſunt teſtimonia de virtutibus Dn. Pr. GEORG.*

Dn. Chriſtophorus à Degofelda,

Dn. Gedeon ab Oſthemia,

& alii quidam fide digni, qui non ſolùm alii nuptiis & haſtiludiis interfuerunt, quo anno Illuſtriſsimus Dn. Pa-

ter, Illustrissimam Dn. Matrem BARBARAM Landgravii Philippi filiam sibi matrimonio ξωὶ Θεῷ junxit: sed alii etiam ad notitiam magis familiarem sunt admissi, quod etiamnum animo gratissimo deprædicare audiuntur.

Nihil igitur superesse video, quam ut Ill. C.V. hunc libellum, vultu sereno, & clementissimo accipiat animo, ubi in spem bonam erigor ex eo, quod Ill. C.V. his studiis, olim in Academia patria per aliquot annos, & in ipso seculari Iubilæo, à tempore Fundatoris Dn. EBERHARDI Ducis VVyrtemberg. elapso: & quoties illa Reâturam gessit honori, magnificentissimo, præsidio fuit maximo.

Erit iterum tempus, Deo vitam & otium dante, Ill. C. Vestræ Legationem Gallicam & navigationem Anglicam & Regios illos Ordines Equestres, quos perpetuum virtutis excellentissimæ testimonium, Celsi. Vestra Illustr. sibi promerita est, ad Posteritatis memoriam aliquo carmine pertractare: ἀγαθῇ τύχῃ Deus verus & vivus Illustr. Celsi. Vestram salvam superstitem, & ex omni parte beatam esse velit, quod ex intimo animo quotidiè precor.

Illustriss. Celsi. Vestræ

Humilimus Poëta,

Ulricus Bollingerus.

DE FESTO

DE FESTO S. MICHAELIS ARCHANG.

ELEGIA BOLLINGERI:

AD ILLUSTRISSIM. FORTISSIM. & Clementißimum Principem & Dominum,

DN. FRIDERICVM:

DVCEM VVYRTEMBERG. ET TEC. CIVM, COMITEM MOMPELIGARD. DN. HERICUR. ET IN Heidenheim.

Regiorum antiquißimorum Ordinum, ;
In Gallia S. MICHAELIS Archang.
In Anglia D. GEORGII Carterior.
Equitem Auratum,
Torquatum, &c.

HÆC eſt illa dies, ô Clementißime Princeps,
VVyrtembergiaci Duxq́, Paterq́, ſoli,
Hæc eſt illa dies, cui nomina ſancta MICHAEL
Contulit, Aligeris præſidet ille choris.
Hæc eſt illa dies, quæ te, Fortißime Princeps,
Auratos inter juſſit habere locum.
Hoc tua digna fuit virtus illuſtris honore,
Qua ſuperas Atavos, Dux animoſe, tuos.
GALLIA teſtatur, teſtantur Regna BRITANNÆ,
Hoc virtute tua Te meruiſſe decus.

Aliger

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: : [41] - uncounted

Aliger ille tuus ſignatus imagine conchæ,
Totius Oceani dicitur eſſe tremor.
Hujus ab exemplo, FRIDERICE ter inclyte Princeps,
Diceris injuſtis Tu tremor eſſe Viris.
Angelus ille ferit ſævo mucrone Draconem:
Tu gladio cædis monſtra ferina tuo.
Angelus ille gerit libram cum lance gemellâ,
Regula juſtitiæ ſic manet æqua tuæ.
Quid dicam? tellus quod VVyrtemberga fatetur
Se Patriæ talem non habuiſſe Patrem.
Sub quo Juſtitiæ cultus ſervatur & æqui,
Et Pax, & veræ Relligionis opus.
Ergo MICHAELIS vivas in nomine tutus,
Sit tecum cuſtos Angelus ille tuus.
Vt caput hoc ſanctum nunquam fera beſtia lædat.
Sæpè tua forti quæ cadit icta manu.
Alter eris Samſon, alter Jeſſæius heros
Indomitas olim vicit uterq; feras.
Tempus erit, cùm te, Dux illuſtriſsime, venâ
Venturis annis uberiore canam.
Cætera multa domi conſcripta Poëmata ſervo:
Quæ ſunt in laudes officioſa tuas.

BOLLIN-

BOLLINGERI
P. CORONATI

ARGVMENTA

In tres Panegyricos; Monostichis inclusa.

I.

Majores primus canit, amissumq; Parentem.

II.

Alter ab exilio reditum, pugnasq; recenset.

III.

Ultimus arma iterum tractat, thalamosq; obitusq;.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: , [43] - uncounted PUBLIC DOMAIN

Panegyricus Primus,

DE VITA ET REBUS GESTIS,
Illustriss. & Fortissimi Princ. & Domini,

DN. GEORGII,
COM. VVYRTEMBERG. ET MOMPELIGARD. DOMINI SUPREMI HERICURIÆ,
P. P.

Capita I. Panegyrici.

I. Post Exord. & Propositionem, describitur Princ. GEORGIUS à Patria, Majoribus, Parentibus, Fratre & Sorore.

II. Educatio ejusdem in Aula Dn. ULRICI Duc. Wyrtemb. Ubi artificio Poëtico inseritur bellum Palatinum, Nuptiæ Dn. Fratris Duc. ULRICI, & Dominæ MARIÆ Sororis.

III. Introducitur Princeps HEINRICUS Pater ægrotans, qui ante obitum valedicit Filiis, & multis historiis artificiosè repetitis, deniq; dicto Psal. 90. vitam claudit & sepelitur.

AD

AD ILLUSTRISSIM. FORTISSIM. & Clementiſſim. Principem & Domin.

DN. FRIDERICVM: DVCEM VVYRTEMBERG. ET TECCIUM, COMITEM MOMPELIGARD. &c.

QVi noſtra Princeps datus es divinitùs ora
VVyrtembergiaca Dux ô Fortiſſime Gentis:
Incipiam cantare tuum, FRIDERICE, parentem. Propoſitio.
Quod ſi non Grajos Heroo carmine Reges
Antiquus chartis olim mandaſſet Homerus:
Si non Æneam ceciniſſet Muſa Maronis,
Horum fama ſimul cum morte ſepulta fuiſſet.
Quare age, tu mihi quæſo tui da ſigna favoris:
Sim tibi Mœonides, Tuq; Hector & alter Achilles;
Sim tibi Virgilius: Si me divina ſequetur
Gratia: ſi Tua Me dextro Clementia vultu
Aſpicit, ad ſeros mittam tua geſta Nepotes.
Ad BURGUNDIACAS longè ſe porrigit oras Patria Dn. Pr. GEORGII.
Terra antiqua, potens armis, atq; ubere gleba:
Hîc ubi Mompeligarda jacet, qua paruit olim
Diverſis Dominis. Comes hanc Burgundus habebat
Conditione thori, poſtquam fortiſſimus Heros
Fata THEODRICUS clauſit, qui milite forti
Murbachum ingreſſus, prædam ſpoliavit opimam. Theodorus C. Mompel. Anno 1233.
Poſt aliquod tempus REINALDO nata Parente
Auſpiciis latis Heinrico jungitur AGNES

Heinricus vō Monsfalck/ Com. Mompelg. 1320.

Heinrico, quem Falconum de Monte vocabant.
Cui ditio hæc felix dotis pro munere ceßit.
Donec EBERHARDUS *Dominus VVyrtbergidos ora*
Majores Dn. Principis GEORGII. HEINRIETAM *ſtabili ſibi junxit Lege Maritam,*
A Genitore ſatam, quem crudeliſſimus hoſtis,
Bajazetha ferox pallentes miſit ad umbras,
Hic ubi Nicopolis ſtat mœnibus ampla vetuſtis
Trajani æternum Daca de Gente trophæum.

Eberhardus 5. Cognom. Junior, Primus Com. VVyrt. & Mompel. Obiit 1419.

Primus EBERHARDUS *Peligardi mœnia Montis*
VVürtembergiacis oris conjunxit, & uno
In clypeo geminos piſces, & cornua cervi
Inſeruit, ſic fama refert: Hac ſtirpe creati
Majores FRIDERICE *tui, qui carmine longo*
Cantandi fuerant: Proavus cognomen Amati
Obtinuit, Bavaram ULRICUS *qui duxit* ELISAM
LUDVVICI viduam, cujus de ſanguine celſo
Ulricus 7. Obiit 1479.

Heinricus C. VV. Pater Dn. Pr. GEORG.

HEINRICUS deſcendit Avus, fœlicibus aſtris
Editus, hic geminâ fuit auctus prole, duobus
E thalamis, lectum Bitſchenſis ELISA *jugalem*
Prima adiit, Ducis ULRICI *quæ reddita Mater,*
Mox obiit, poſt Salmæo de ſanguine priſco

EVA, Com. Salm. Mater Dn. Princ. GEORG.

EVA thori conſors ſucceßit, Nobilis EVA:
Eſt illa Genitor de Matre GEORGIUS *ortus:*
Ille tuus Genitor, qui te produxit in auras,
De quo multa meo verſu cantanda ſuperſunt.

Prin. GEORGIVS natus Anno 1498. 4. Februar. Propoßitio totius operis.

Hic annos vitæ primos, teneramq; juventam

Pr. GEORG. Frater VLRICVS Dux VVyrtemb.

ULRICI fratris magnâ tranſegit in aulâ,
Qua Stutgardiacæ ſtant ardua mœnia ſedis,
Ut conſtaret amor primis nutritus ab annis,
Necteret & concors germanos gratia fratres.
Non hic deſidias, non ocia marcida luxu,

Non

Non virtus illi ſomnos permiſit inertes,
Sed durare manus, & fortia membra laborem,
Perferre edocuit, ſub dio ducere vitam,
Planiciem curſu, valles evincere ſaltu,
Aſcenſu ſuperare jugum, vada cæca natatu:
Frigora ſæva pati: Phœbi tolerare calores,
Diſcere Martis opus, quis equos convertere gyro;
Aut per planitiem celeri tranſmittere curſu
Aptior, aut melior caſtu, volucrive ſagittâ,
Emiſſo've hoſtem poſſit contingere plumbo.
Quis melior ſociis aditus quis durior hoſti:
Qua pedites, qua ſint equites ſtatione locandi:
Qui dextrum teneant cornu, cornu've ſiniſtrum,
Qui medium ſervent, totus conſiſtat ut ordo.
Exemplo ULRICUS *Frater maturior annis*
Prævius huic ibat, quo tempore ſæva Ruperto
Intulit arma Duci, cùm nondum ſeptimus illum
Annus ab undecimo caperet: tamen ille virili
Tunc animo totas vires eduxit in hoſtem,
Millia viginti peditum, quos ponè ſecuti
Octingenti equites, quibus expugnavit ubiq;
Cæſaris Æmylii monitu, juſſisq; ſeveris,
Atq; Palatino eripuit cum mœnibus arces:
Maulbronnam veterem quam Lamersheimius olim
Sacrificis ſtruxiſſe viris cum divite cenſu
Fertur, & hinc Baſiccaimam, dictamq; Leonis
A ſaxo, viniq; urbem de monte vocatam,
Et nova circundat quæ mœnia Cocharus amnis,
Et quam Meckmylam rigat aucto flumine JAXTUS.
Sic poſtquam rediet devicto ex hoſte ſuperbo,
Alloquitur tali Germanum voce GEORGUM:

Principis GEORG. pueritia.

Bellum Bavaricum. Anno 1504.

Qui ſeptem vitæ teneros compleverat annos.
Diſce Puer virtutem ex me, verumq; laborem: 85
Fortunam ex aliis, tua cumq; adoleverit ætas
Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum,
Excitet ULRICUS germano ſanguine junctus.
Tempora jamq; aderant Bojæ promiſſa SABINÆ,
Nuptiæ Ducis VLRICI VVyrtemb. Anno 1511. Quam Dux ULRICUS ſociali lege Maritam 90
Duceret: accurrunt diverſo ex orbe vocati
Magnates, latiq; Hymenæïa feſta celebrant.
Hîc ita magnifico ſunt omnia facta paratu,
His decantandis multorum ut carmina Vatum
Non benè ſufficerent: Equitum quis millia ſeptem 95
Enumeret? genus aut horum percurrere poſſit?
Quis tot progenitas è nobilitate puellas,
Tot matres memoret? Nulla ætas talia vidit.
Hîc lecti juvenes, certatim aulæq; Magiſtri.
Dapſilibus largas portabant lancibus eſcas: 100
Cuiq; ſuus Pincerna fuit, qui pocla miniſtret.
Hîc mediâ vinum Fons effundebat in aulâ,
Vinum album, vinumq; rubens, mirabile viſu.
Hîc aderat meritæ exſpectans ſua præmia palmæ,
Qui curſu valuit, manuum qui viribus audax, 105
Qui jaculo inceſſit melior levibus ve ſagittis,
Aut qui cornipedum certamine vicit equorum:
E numero hoc abiit ſine munere nullus inanis.
Nondum finierant feſtiva gaudia lucis,
Pr. GEORG. adoleſcentia. Ante alios pulcher juvenile GEORGIUS agmen 110
In medium ducit, ſeſeq; oſtentat in armis:
Pr. GEORG. pater HEINRICVS. Tecciacæ mirata fremit, Bojæq; juventus.
Inprimis pater HEINRICUS, quem plurima vultu
Canities exornabat, non gaudia mentis

Diſſi-

Diſſimulat, dulcesq; capit ſub p[illegible]ore motus.
Poſtquam omnem læti conſeſſum oculosq; ſuorum
Luſtravêre in equis, ſignum dedit ipſe Magiſter.
Olli ineunt varios curſus, variosq; recurſus
Adverſis ſpaciis, alternosq; orbibus orbes
Impediunt, pugnaq; cient ſimulachra ſub armis,
Et nunc terga fugæ nudant, nunc ſpicula vertunt
Inſenſi, facta pariter nunc pace feruntur.
Excipiunt illos plauſu, gaudentq; tuentes,
Dum miſcent curſusq; fugasq; & prælia ludo.
Jam læta ULRICUS populos in pace regebat,
Quem conjux fecit non una prole parentem.
Mompeligardæos fines tunc ille GEORGO
Tradidit, Harburgasq; arces, Blauoq; vocatum
A ſcopulo caſtrum, Richevillamq; ſuperbam,
Atq; alias urbes, fraterno motus amore.
Nec non Germanæ connubia læta MARIÆ
Promovit, quam Dux HEINRICUS ſidere fauſto
Eſſe ſibi ſociam voluit, latosq; Hymenæos
VVyrtembergiacis Sponſus celebravit in oris,
Ermſius Uracios campos ubi perfluit amnis.
Hîc Sponſæ Genitor tranquillâ in pace ſedebat
Depoſito ſceptro, feſſusq; ætate ſenili.
Hîc poſtquam feſtum ſolito de more peractum eſt,
ULRICUS Princeps, Fraterq; GEORGIUS illos
Muneribus dimiſerunt non vilibus auctos.
Hinc ævo grandis Genitor, ſaturusq; dierum
Paulatim HEINRICUS vires decreſcere ſenſit.
Huic labor, & gravibus curis oppreſſa Senectus
Hauſerat è gracili totum compage vigorem:
Nil operæ proſunt curæq; manusq; medentum,

Fr. GEORG. ſedes in virili ætate. Anno 1513.

Pr. GEORG. Soror MARIA deſpõſata D. HEINRICO Duci Brunovicenſi, Anno 1515.

Pr. GEORG. Pater HEINRICVS ægrotat.

Inq;

Inq; dies aliquid veneno de corpore cedit:
Nox abit insomnis, vigilantur tempora lucis,
Os hebet, & linguæ succus sentitur amarus,
Continuò ad sese natos accersit utrosque,
Quos suspirantes lachymis affatur obortis:
Vos mea Progenies, mihi quos Rex ille Creator
Non una de Matre dedit, sed semine ab uno.
Sat longè, si quid longè est mortalibus usquam,
Viximus, & cursum benè magnum implevimus ævi,
Quattuor atq; decem vitæ post lustra peracta,
Tertius hic agitur revolutis mensibus annus
Ex quo me Genitrix vitalibus intulit auris:
Non ætas pretiosa mihi, sed plena labore
Atq; dolore fuit, si qua fuit optima parte.
Sub Patre multa tulit, qui Martia castra secutus
Edomuit vi magnâ urbes, quæ fœdera pacis
Ruperunt, Aquilæ quærentes tuta sub alis
Effugia, has pressit, mea nondum adoleverat ætas,
Amisi charam Bojo de sanguine Matrem.
Et quamvis fuerit mihi non ingrata Noverca,
Quam Pater in thalamos AMADEI stirpe SABAUDI
Progenitam duxit, tamen hoc fuit usq; molestum,
Non potuisse Patrem promissa dote potiri.
Ergo Palatinos multo cum milite campos
Invasit Pater ULRICUS, dextraq; potenti
Scutorum incendit congestos victor acervos,
Hic ubi VVentselio domus est de nomine dicta,
Qua sese in Nicrum provolvit Bottvvarus amnis.
Monstrat adhuc signum belli, pictasq; tabellas
Marpachi structum paulo extra mœnia templum.
Mox tamen hæc fortuna fidem mutavit, & hosti

Tradi-

Orat. HEINRICI Princ. ad Filios VLRIC. & GEORG. Pr. HEINRICI ætatis 71. annor.

Pr. GEORGII & VLRICI Avus bellum gerit cum civit. Imperial. Anno 1449.

Pr. VLRICI & GEORG. Avia Elisab. Bavar. moritur, An 1451.

Pr. VLRICI & GEORG. Avus pugnat cum FRID. Palat. pro dote MARGAR. uxor. suæ. Anno 1460. Victoria ad pag. Vventselhus.

Tradidit, heu, charum conjectum in vincla Parentem,
Immenso donec sese ære auroq; redemit.
At postquam me plena virum jam fecerat ætas,
Ad Mogi sedes genitor me misit, ibiq;
Addixit sacris: sed non in pace quieta
Hîc etiam vixi, quoniam certamine sævo
Discors Præsul erat, sanctas Mars impius ædes
Irruit, à templis Theodoro Antistite pulso
Pontificis jussu, per vim successit Adolfus
Nassovius Moguntinam deductus in urbem,
Ipse Pater mecum quem tutabatur in armis.
Tempore pòst aliquo nihil hîc me tale merentem,
Sed Patris invidia bellator CAROLUS *audax,*
In Burgundiacis dominator CAROLUS *oris,*
In vincla abduxit, nudatum & sæpiùs ensem
Apposuit collo, sed me divina potestas
Eripuit tandem, patriasq; reduxit in oras.
His actis Genitor mortalia tecta reliquit,
Et de fratre nepos patriis regnavit in arvis,
Dictus ERERHARDUS *divinæ pacis amator,*
Quem ceu Germanum magno constanter amore
Amplexus fueram, fœlix concordia nostras
Auxit opes, nam MECHTILDÆ *suasu ille Parentis,*
Auxilioq; meo sacrata palatia Musis
Magnifico sumptu fundavit in urbe Tybinga.
Ille meo monitu sacratas Fratribus ædes
Struxit Eremitis, sylvas ubi plurima Fagus
Formosa exornat, multis hanc dotibus auxit.
Hic procul ad Solymam antiquã Libanumq; virentem
Impiger accessit, perlustravitq; beatam
Quam pede pressit humũ natus de virgine CHRISTUS,

Idem captus mox liberatur auro.

Princ. VLR. & GEORG. Pater HEINRICVS Coadjutor Eccles. Moguntinens. Anno 1465.

Idem capitur a Carolo D. Burgund. Anno 1475. Brevi dimissus.

Amittit Patrem VLR. ADAMATVM. Anno 1480.

Academ. Tybing. fundata Anno 1477.

Cœnob. Eremit. fundat. Anno 1492. Vulg. Blawe Mönch im Schönbuch. EBERHAR. Barbati iter Hierosolym. Anno 1468. 10. Maji.

Quoq; resurrexit tumulo vix Sole ter orto,
Et quæ signa locis passim monstrantur in istis:
Tempore quo Latias magno cum Cæsare terras
Instructus Sueva cum nobilitate petivit,
Et thalami fidam custodem ex vrbe remotâ
Adduxit, mediis quam cingit Mincius undis:
Ille mihi rerum, & patriæ commisit habenas.
Quid dicam? nuper quod totum exivit in orbem,
Nomen EBERHARDI, cui Maximus Æmilianus
Arbiter Imperii veteres geminavit honores,
Unde Ducis titulo poterunt gaudere nepotes.
Sic magis ille quidem me fortunatus, & ista
Parte prior, nisi quòd moriens non ulla reliquit
Pignora: sed justis EBRARDUS legibus hæres,
Ille meus Frater regni cùm sceptra paterni
Susciperet, pro voto animi non omnia sensit,
Unde abjecit onus tantum, vobisq; regendam
Tradidit hanc patriam, quando sic fata volebant,
Hoc unum mihi dulce fuit per tempora vitæ
Ultima, quòd video vos nostro è sanguine natos
In patrio regnare solo: non ampliùs opto
Vivere, vos autem nostris animum addite dictis:
Mutua vos semper foveat concordia Fratres:
Tuq; ULRICE, tuis cùm sis maturior annis,
Qua ratione potes non desere, quaso, GEORGUM.
Fraternam pacem sequitur jucunda voluptas,
Et multum utilitatis habet, quod vestra docebunt
Tempora, semper erunt, qui vobis sæva parabunt
Arma viri, vos arcta magis tum vincla ligabunt,
Vestros inter Avos qualem vidistis amorem.
Quòd si non paribus studiis HEINRICUS, & unà

ULRI-

Conjug. cum BARBARA Mantuana. Anno 1474.

EBERHAR. Barbat. creatur Dux prim. VVyrtemb. Anno 1495. 21. Jul. in Comit. VVormat.

Obiit Eberhard. Barbas. Anno 1496. 24. Febr.

Successit Eberhard. Junior HEINRICI Princ. Frater. Hic se abdicavit, Anno 1498.

VLR. Princ. cum Fratre GEORGIO Ducat. regit Anno 1503.

Ulricus conspirassent, non aucta fuisset.
Hac ditio, si non Fratri Ludovicus Iano
Mansisset fidus, forsan Stutgardia nostro
Non esset conjuncta solo, si nulla tulisset.
Auxilia Ebrardus quoties Hermannus in hostes
Convertit Martem, forsan cecidisset uterque.
Si non tantus amor Patruumq; meumq; Parentem
Perpetuò constans etiam post fata ligasset,
Credite, non opibus res VVyrtembergica tantis
Crevisset nuper: Majorum discite mores.
Inprimis nuper cœptum curate Lycaum.
Ut pia Relligio, sancta doceantur ut artes,
Ut sint salvifici qui spargant dogmata verbi,
Ut sint civili qui lege negotia tractent,
Ut sint qui morbos humano corpore pellant.
Hinc etiam sacris constructas usibus ades,
Quas habitant sancti Fratres, sanctaq; Sorores,
Corrigite in melius, non illas futilis Abbas
Ignavo luxu seu turpi crimine perdat.
Sic agite, este viri, Clementem pectore firmo
Exspectate Deum, tristesq; excludite curas.
Vos modò non ficta perquirite mente supremum
Incœlis Dominum, pulchrisq; insurgite cœptis,
Purior ut cultus templorum ut gloria crescat.
Vos Opifex rerum fraterno in fœdere tutos
Esse dabit, tandem dabit ocia mollia vitæ,
Hostibus edomitis, hoc toto limite circum
Ut longa & lata populos ditione prematis.
Dixerat, & sensim morbo languescere vires
Incipiunt, Domini ille memor, mortiq; propinquus
Sicut olor, suavi decantans gutture funus,

Oratio Meri-
tur.
Ptal. 90.

Os aperit, sanctoq; Deum Paane celebrat.
O DEUS immensi Fabricator Maxime mundi,
Omnibus à seclis, qui nobis instar asyli,
Quàm fierent montes, tellus, & maximus orbis,
Tu prior æternum DEUS idem es, & unus in ævum,
Qui statuis miseris mortalibus ultima fata,
Et faris: Superas homines rursum ite sub auras.
Mille tibi annorum tempus velut unica lux est
Hesterno transacta die, ceu noctis opaca
Hora brevis vigilis: rapidi nam fluminis instar
Ire sinis, vivunt, ut quos sopor obruit altus.
Ut rosa, vel si qua marcescit protinus herba,
Mane novo florens, sero sed vespere languens,
Quæ modò falce resecta cadens arescit ab æstu.
Hæc adeò gravis ira tua est, quæ talia nobis
Fata creat, tuus ille furor nos protinus aufert.
Tu DEUS observas quicquid deliquimus, omne
Occultumq; nefas patulas producis in auras.
Hinc pereunt nostri, dum sic iraſceris, anni.
Et quasi colloquium vel fabula præterit ætas.
Vix decies septem procurrit vita per annos,
Si spacioſa fuit, numerantur lustra bis octo.
Si bona, si pretioſa fuit, repleta dolore
Atq; labore fuit: nam transvolat alitis instar.
Quis tamen usq; tuam secum consideret iram:
Quis ve dolet toties commissa crimina culpæ?
Quin age, fac animo subeat nos esse caducos,
Ut major veniat nobis prudentia rerum.
Jamq; redi, teq; aspectu ne subtrahe nostro,
O DEUS, ô clemens propeius res aspice nostras,
Fac nos maturâ satiet tua gratia luce,

Ut si-

Ut ſine fine animos pertentent gaudia noſtros.
Jamq; adeò luctu tam longo pectora ſolve,
Poſtquam tot patimur mala fata, gravesq; labores.
Fac tua facta tuis ut fiant nota Miniſtris,
Et natis horum tua gloria, conſule nobis
O Pater, aſpiret manibus tua gratia noſtris,
Et favor ille tuus conatus proſperet omnes.
Dixit: & atherias animam exſpiravit in auras.
At Nati patrio lectos ex agmine jungunt
Mille viros, qui ſupremum comitentur honorem.
Urbs jacet, ipſa Ducum nunc eſt ampliſſima ſedes,
Conſpicua excelſis celebris Stutgardia templis,
Huc ſtanno inſertum corpus lachrymabile geſtant,
Et templi in mediis penetralibus oſſa reponunt.

Mors & ſepultura HEINRICI Princ. Anno 1519.

FINIS I. PANEGYRICI.

Capita II. Panegyrici.

I. Fortitudo Princ. GEORG. adverſ. hoſtes Suev. Fœderis, qui Duc. ULRIC. è ditione ejecerunt.

II. Conſolat. Princ. GEORG. ad Duc. ULRIC. exulẽ, ubi per artif. Poët. introducitur viſio nocturna, & vaticinia de reditu Duc. ULRICI: Item, de Succeſſorib. P. P. inprimis de Dn. Friderico, Duce noſtro.

III. Duc. ULRICI reſtitutio per Landgrav. Haſſ. PHILIP. & Princ. GEORG. Militia: Item, de abitu Duc. CHRISTOPHORI in Galliam.

IV. Induſtria ULRICI & GEORG. P. P. F. F. in reformandis Eccleſiis, & novis munitionibus erigendis.

V. Reditus Duc. CHRISTOPH. è Galliis, & de bello Turcico.

Panegyricus Secundus.

DE VITA ET REBUS GESTIS, Illustriß. & Fortißimi Princ. & Domini,

DN. GEORGII, COM. VVYRTEMBERG. ET MOMPELIGARD. DOMINI SUPREMI HERICURIÆ, P. P.

POst hac Tisiphone dirarum è sede Sororum,
Per VVyrtenbergam spargit nova semina belli,
Crudelis belli, longa est injuria, longæ
Ambages rerum, scis tu REUTLINGA, tuique,
Irati cives, quo tempore cæde cruenta
Percussêrè virum, mediis in mœnibus urbis
ACHALMÆ custodem arcis: fuit ille Minister
Ante alios Domino ULRICO dilectior unus.
Ergo tuos muros effusi sanguinis ultor
Destruxit miserè, Princeps invictus in armis,
Per vicos passim ferro populatus & igne.
Pallida Tisiphone cui crimina noxia cordi,
Sueviacos firmo constrictos fœdere, duras
Excitat in pugnas Proceres, qui mœnibus ULMÆ
Egressi, invadunt urbes, & milite sævo
Permiscent VVyrtembergam crudeliter omnem.
Millia triginta peditum FRONSPERGIUS armat
Adjungit sese huic Equitum cum millibus octo

Reutlinga Achlamensis Præfectus occisus. Anno 1518.

Reutlinga capitur. Anno 1519.

Occupatio VVyrtemb. per Fœderat.

Georg. a Fronsperg.

Dux

Dux Boius curſu rapido dat euntibus illis
VVyrtemberga locum, non ulla reſiſtere tantis
Viribus urbs potuit, quamvis ſe fortiter hoſti
Oppoſuit Dux ULRICUS, qui caſtra tenebat
Hîc ubi BLABTRÆ ſtant mœnia celſa vetuſtæ.
Non tamen, heu, potuit patriam defendere terram,
Jamq; fugâ ſibi conſuluit, perq; avia ſylva
Hercyniæ Mompelgardam conceſſit in arcem.
Ipſa Tybinga caput terræ ſibi credita dudum
Pignora chara Ducis teneræ ſervabat in annis:
CHRISTOPHORUM puerum, cunisq; in mollib. ANNAM.
Abduxêre illos hoſtes, claramq; Tybingam
Et Neiffam poſſedere, Aſpergamq; ſuperbam.
Tum pro Germano prima ipſe GEORGIUS arma
Dicitur induxiſſe humeris, & robore magno
Qua dextra ante feras ſolitus terrere fugaces,
Hac repuliſſe viros hoſtes: Sed viribus impar,
Cogitur, heu, tandem ferventi excedere pugnâ:
Non aliter, quàm cùm venantum turba Leonem
Cum telis premit infenſis, itq; territus ille,
Aſper, acerba tuens, retrò redit, & neq; terga
Ira dare aut virtus patitur, nec tendere contra,
Ille quidem hoc cupiens potis eſt, per tela, per hoſtes.
ARGENTINA locum dedit huic, totiesq; gementem
Audiit ULRICI fatum, ſortemq; malignam,
Donec poſt aliquot meſſes, à Marte quietus
Richovillanas rediit poſſeſſor in oras.
Hîc arcem ſtatuit multis conclavibus altè,
Eductam, quam longa mora eſt includere noſtris
Verſibus, hîc celſæ ſupraq; infraq; columnæ,
Et magno apparent conſtructa palatia luxu.

VVilhelm. Dux Bavariæ.

Dux Virtemb. VVyrtemb. cedit.

Chriſtoph. D. puer abducitur in Bavariam.

Pr. GEORG. Fortitudo.

Pr. GEORG. novam arcem Harburg. extruit.

Eruta

Eruta multa patent veterum monumenta virorum.
Hîc Alemanniacas olim cecidisse cohortes
Fama refert, quas devicit Romana juventus
Hîc ubi tunc stabat vetus ARGENTARIA dicta:
Hîc jam sunt operæ artificum, sunt marmore picta
Atria, calataq; trabes, asarotaq; pulchra.

Pr. GEORG. afflictio pro Fratre VLRICO Duce.

At non ille tamen sortem est oblitus iniquam
Germani ULRICI, terris quem sæpè paternis
Reddere tentavit, quos & non ille Tyrannos
Accessit supplex? quoties non ille rogavit
Cæsaris ante thronum, ne VVyrtemberga careret
Nativo Domino, qui multis exul in oris
Implorabat opem, nonnunquam clanculus hospes
Calcabat natale solum, patriiq; popelli
Non sine lætitiâ fidum explorabat amorem?

VVyrtemb. Cæsari Carol. V. vendita; post tradita Ferdinando. Anno 1522.

Ipse quidem Cæsar ditionem CAROLUS emptam
Tradidit Archiduci consanguinitate propinquo
FERNANDO, quî præsidiis munivit ubiq;
Oppida cum vicis, & se mandavit ubiq;
Agnosci Dominum per VVirtembergica rura.

Rustic. seditio in agro VVyrtemb. Anno 1525.

Ecce autem interea Suevas commota per urbes
Seditio exoritur, quam rustica turba ciebat:
Agricolæ indomiti concurrunt undiq; telis,
Et posthac Leges Dominorum audire recusant.
Evertunt arces, & templa, domosq; sacratas
Diripiunt, æquant solo, magnoq; furore
Nobiliore satos de sanguine morte cruenta
Obtruncant, alios equidem de turribus altis
Deturbant, alios mediis transire per hastas
Ad miserum cogunt per vulnera plurima lethum.
Hei mihi, quàm multo casorum sanguine tincta est

HEIL-

HEILBRONNA & VVINSPERGA vetus? quot fana rui-
Traxerunt? quot nobilium caſtella virorum (nam
Incineres conſiderunt? ô digna ſeveris
Impietas pœnis, magnis quæ ſumptibus olim
Ad ſacros uſus noſtri ſtruxère Parentes,
Ruſticus ille furor vaſtavit ubiq;, nec aris
Abſtinuit, nihil intactum ſartum've remanſit.
LIECHTOSTERNA cadit, cadit ADELBERGA, caditq;
LORCHA vetus, quas & Ludovici nomine dictus.
Rex Pius, ad MURRHAM ſacratas condidit ædes.
Nec non ſors eadem geminam ALBAM preſſit herilem,
Et BEBENHUSANOS HERENBERGOSq; penates,
Atq; domum AURELII quæ continet oſſa beati.
Sic iterum magno ſe VVyrtemberga tumultu
Quaſſatam ſenſit, donec Truchſeſſius heros
BOBLINGÆ in campis populos oppreſſit agreſtes.
Talia cuncta videns Dux VVyrtenbergicus exul,
Sollicitum nunc huc animum, nunc dividit illuc,
Quia tandem patrias ratione capeſſeret oras:
Auxilia unde petat, verſatq; per omnia mentem.
Tunc illi triſtes mulcens in pectore juras
Germanus grata ſic voce GEORGIUS inſit:
O Frater quò fata trahunt, retrahuntq;, ſequamur:
Quicquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.
Eſt tibi Landgravia natus de ſtirpe PHILIPPUS,
Hunc cape bellorum ſocium, & conjunge volentem:
Quæ ferro amiſſa eſt, ferro reparanda viciſſim,
Terra tibi, pretio & precibus tamen antè videndum,
Flectere Cæſarios animos ſi fortè queamus.
Eſt tibi CHRISTOPHORUS natus, qui Cæſaris aulam
Jamdudum ſequitur, Cameræ cui provida cura:

GEORG. Truchſeſſius Fœderator, Imperator profligat ſeditioſos.

Conata VLRIC. & GEORG. de recip. Duc. VVyrtemb. Anno 1528.

Cæsar Carol. V. coronatur Bononiæ; Anno 1530. 22. & 24. Febr. Comitia Augustana, eod. Anno 25. Iun.

Quin etiam accepta Cæsar de more corona,
Concilium nostris, ut fama est, coget in oris,
Hic ubi Vindelicorum altam Lycus alluit urbem.
Cæsaris ante aures pro te prece supplice Natus
Omnia conetur, quod si non audiet illum,
Arbiter imperii, non est spes omnis adempta:
Sed ferro tentanda via est, me semper in omnes
Promitto casus comitem sociumq; paratum,

Visio Nocturna.

Nox erat, & genus omne hominum sopor altus habebat,
Ulricus mœstis turbatus pectora curis,
Procubuit, seramq; dedit per membra quietem.
Huic est visa polo subitò delapsa supremo
Aligeri nova forma viri has effundere voces:

Vaticinia de Ducib. VVyrtemb.

O Princeps duris jam longè exercite fatis,
Consiliis pare, quæ dat tuus ille GEORGUS,
Neu belli terrere minis, timor omnis & ira
Cocessêre, DEUS cœlo est miseratus ab alto:
Famq; tibi (ne vana putes hæc fingere somnum)

De Principe CHRISTOPHORO, qui ex aula Cæs. discessit. Anno 1532.

CHRISTOPHORUS natus redit, & jam Cæsaris aulam
Deseruit nuper fido comitante Magistro:
Hic reducem te spectabit, tum secula bellis
Mitescent, hîc tu sex & bis quinq; per annos
Subjectis pia jura dabis: sed post tua fata

De Principe VLRICO.

CHRISTOPHORUS patria sceptrum gestabit in ora,
Donec eant ter sex æstates, ille relinquet

Iterum de CHRISTOPHORO.

Progeniem multam, LUDOVICUS solus & unus
Ex illis modò quinq; reget per lustra, nec ultra
Vivus erit, natos non ullos ille creabit.

De Principe LVDOVICO.

Progenitus sed deinde tuo de Fratre GEORGO,
(Qui demum seris uxorem ducet in annis)
Succedet VVyrtenbergis Dux Magnus in oris,

De Principe GEORGIO, FRIDERICO, & posteris.

Qui FBIDERICUS *erit felici nomine dictus.* Vide infr. Panegyr. v. 178.
Huic DEUS *imperium longum concedit in ævum,*
Per Natos Natorum, & qui nascentur ab illis.
His dixis nox ULRICUM *somnusq; reliquit,*
Surgit, & ad Cœlos exímo corde precatur:
Summe Pater, quàm densa cohors contraria nobis Psal. 3.
Ingruit, & sese opponit, vitaq; minatur
Sæpè mea? dicunt isti sine fronte pudoris
Esse mihi auxilium divino à numine nullum.
At tu parma mihi, clypeo tu fortiter hostes
Opprimis, hocq; caput de pulvere tollis in altum.
Gloria magna mihi te solo vindice parta est.
Te precor, ô divine Pater, ne temne precantem:
Ut securus agam, quando de nocte soporem
Accipio membris, ut me tua dextera servet,
E somnis quoties vigil orto Sole resurgo.
Non ego jam metuam venientum millia centum,
Qui sua castra adversa mihi circum undiq; vallant.
Tu fer opem DEUS *alme tuam, tu redde salutem.*
Nam tu fulmen habes hostiles frangere malas.
A te dependet rerum fortuna mearum.
Dixit: LANDGRAVIUMq; *Ducẽ cum Fratre* GEORGO Pr. VLRICI & GEORG. iter ad Landgraviũ PHILIPPVM. Anno 1533.
Lætus adit, deq; his docet ipsum & singula pandit,
Et quæ nunc animo constet sententia quærit.
His ita LANDGRAVIUS: *Vos ô fortissima bello*
Pectora, sospitibus vobis ego tempore nullo
Res VVyrtemberga amissas victasq; fatebor.
Sunt nobis equidem tanta ad molimina rerum
Exigua vires, Cæsar circumsonat armis:
Et nervo bellorum argento auroq; caremus.
At vobis superest Francis vicinior oris

Responsum PHILIPPI Landgrav.

In Peligardæo tellus ditissima Monte:
Liligero Regi parvum hanc concedite tempus
Pignoris esse loco, vobis dabit ille vicissim
Auri atq; argenti factiq; infectiq; talenta.
Ipse ego Ductor ero, veniamq; ad bella paratus.
Forsan erit tempus, quando tibi Magne GEORGI
Natam conjugio jungam, propriamq; dicabo,
Quæ pulcra ante obitum faciat te prole parentem.
Multa dies, variusq; labor mutabilis ævi
In melius retulit, multos alterna revisens
Lusit, & in solido rursus Fortuna locavit.
Auxilio nobis adsit Rex Magnus Olympi.
Sic ait, & dictis à se dimittit amicis.
Ut tria lustra ierant, ex quo patria arva reliquit
Pulsus in exilium, quamvis innoxius esset
Ulricus Princeps fortissimus, undiq; cogit
Auxilia, & campos collecto milite complet:
Hic inter primos erat ipse GEORGIUS *Heros,*
Et Fürstenberga genitus de stirpe Vvilelmus,
Inde alii Proceres, Dux Hassicus ipse PHILIPPUS
In medio chlamyde, & pictis conspectus in armis.
Ad Nicrum tendunt omnes, qua meta viarum
Proxima, quadrupedum latè quatit ungula campos.
Urbs est, quam LAUFFAM *germano nomine dicunt,*
Hîc ubi NICER *aqua violento voluitur æstu,*
Hic Regis vvindæ templumq; diemq; puellæ
Consecrasse ferunt; veteres qui tempore prisco
Hos habuêre locos Equites, magniq; Barones.
Regia non procul hinc acies sua tuta locorum
Castra Palatino tenuit Ductore supremo.
Hic secum rapuit Juvenum bis millia quinque,

Vide infr. Panegyr. 3. v. 211.

Vvyrtenbergia armis recuperatur. Anno 1534.

P. r GEORG.

VVILELM. C. Fürstenb.

PHILIPP. Landgr. Hass.

Acies Regia. PHILIPP. PALATINVS Vicar. Reg.

Bis geminis acies quos millibus auxit equester.
Illis Haſsiacæ ſeſe oppoſuêre phalanges,
Propter aquas Nicri, ſummo ductore PHILIPPO,
Millia triginta peditum, quos quingq; ſequuntur
Millia quadrupedum, qui terga armata premebant.
Per littus paſsim Legio ſortita periclum
Excubat, exercentq; vices, quod cuiq; tenendum eſt
Non hîc LANDGRAVIUM *retinet mora, ſed rapit acer*
Totam aciem ſecum, gelidiq; in littore NICRI
Signa canunt, ſit conflictus, concurritur armis.
Ecce, Palatinus, ſonipes quem forte vehebat
Per cuneos, miſsâ dextro pede glande petitus
Exhalante ferâ procumbit in arva volutus.
Hunc infrenis equi lapſu tellure jacentem
Attollunt ſocii, ASPERGÆq; *in tecta reponunt.*
Scherius hîc etiam percuſſus vulnere ſævo,
Amiſſo diſcedit equo, pugnamq; relinquit.
Utq; acies vidit belli exceſsiſſe Magiſtros,
Pars ſeſe Aſpergam recipit, pars flumine Nicri
Abripitur, multa hîc morientia corpora volvit.
Ulricus Stutgardæam contendit ad urbem,
Excluditq; hoſtes portis, mox inde Tybingam
Deditione capit, non ullo ſanguine fuſo.
Verberat Uraciam tormentis fortiter arcem,
Aſpergamq; altam ſubdit, Neiffamq; ſuperbam.
Hinc Oratores reliquas emittit in urbes,
Ut ſe ſubjiciant ſine ferro, armisq; cruentis,
Et veterem Dominum quo ſas in honore receptent.
Non renuunt illæ, veniunt cum clavibus ultrò,
Orantes veniam, & requiem, finemq; malorum.
His Dux Ulricus placido ſic ore profatur:

Regiorum clades.

CHRISTOPHORVS Trachſeſsius Scherius vulneratur.

Stutgardia dedita, Anno 1534. 15. Maji

Vraca 25. Maji.

Aſperga. Neiffa. Menſ. Iun.

Nunquam acies, nunquam arma libens in prælia movi:
Me pulsum toties injuria tanta coëgit
Tecciacos toto defendere Marte penates.
Hinc sese ad gentem Hassiacam convertit, & alto
Pectore verba trahens, rursum est sic ore locutus:
O CATTI, mecum per certa pericula vecti,
Per tantos bellorum æstus, convertite mentem
In melius, jam finis erit (sic spero) malorum.
Tuq; ô Cattorum decus immortale tuorum,
Per longam seriem Francis qui Regibus ortum
LANDGRAVIUS ducis, quæ præmia digna rependam
Magne PHILIPPE tibi? tu me rerum omnium egenum
Juvisti vita atq; opibus, dum montibus umbræ
Lustrabunt, convexa polus dum sidera pascet,
Semper honos nomenq; tuum laudesq; manebunt,
Seraq; posteritas nostris ex ossibus orta
Fœdus amicitiæ colet, & socialia semper
Vincula servabunt per sæcula longa nepotes.
Interea; neq; enim patrius consistere mentem
Passus amor, natum longo non tempore visum
Oratio D. VLRICI ad Fil. CHRISTOPH.
CHRISTOPHORUM jubet adduci, qui Cæsaris iras
Formidans tutis latuit benè tectus in oris,
Cui tum prima genas vestibat flore juventa,
Ante annos animumq; viri, curamq; gerenti.
Cui sic ore dabat: Nate, in quo cura parentis
Una & sola manet tanto in discrimine rerum:
Ah, quàm te mala sors teneris agitavit in annis!
Completo nondum lustro te perfidus hostis
E gremio matris rapuit. Bojeq; remotas
Intulit in terras, ut vitæ inglorius ævum
Hîc ageres, patriis non unquam redditus oris.

Quam-

Quamvis ipse tua commotus ab indole Cæsar,
Custodem Camera pubenti in flore recepit:
Hic tamen expositus fatis, & mille periclis
Vix evasisti, quin Turcica præda fuisses,
Hic ubi Neustadio juncta est augusta VIENNA.
Quin & Cæsaria livor truculentus in aula
Te quasi captivum insidiis tractavit iniquis.
ipse vides tandem quòd nos divina potestas
Reddidit huic patriæ post quinq; decemq; peractas
Exiliis hyemes, statuitq; in pace quietâ.
Nunc audi, quæ nostra animo sententia surgat:
Quam Peligardæi dicunt de nomine Montis
Terra jacet sceptris jamdudum subdita nostris,
Hæc est Gallorum pro pignore credita Regi,
Qui nos auxiliis opibusq; adjuvit egenos.
Quare age te mittam, pretio qui ritè soluto
Hanc terram repetas, & nostro nomine grates
Persolvas Regi, fidusq; Minister in aulâ
Permaneas isthic, donec maturior ætas
Te doceat populos regere, & præscribere leges.
Pacatis rebus, majus sub pectore volvunt
Dux ULRICUS opus Fraterq; GEORGIUS, ambos
Cura gravis vera de Relligione fatigat,
Fœda superstitio Germanum oppleverat orbem,
Fraude Patris qui se Romana in sede locavit.
Sacrificis non hîc pietas, non aurea cordi
Relligio, sed turpem in luxu perdere vitam.
Ergò Duces ambo veros succedere falsis
Cultibus instituere pares, templisq; dederunt
Doctores incorruptos, quibus unica cura,
Ut longa populos ex impietate reducant.

Mittitur ad Cameram Cæs. Carol. V.

Vix evâsit Turcas, Anno 1529.

Mittitur in Galliam, Anno 1534.

Reformatio in Ducatu VVyrtenb. Anno 1530.

Sic

Sic quondam Gedeo, Beli delubra nefandi,
Cùm foret Idolis Hebræa à gente litatum,
Eruit, & turpem deſtruxit ubiq; Peorum.

Stipend. Tybing fundit. ab VLRICO & GEORG. P. P. VVyrtenberg. Anno 1536.

Quin etiam ULRICUS non parva dote Lycæum
Auxit, ubi Nicri circundatur amne Tybinga,
Scripturas edocta ſacras ut turba virorum
Sufficeret templis noſtris ariſq; ſacratis.
Mompeligardiacæ bis quinq; GEORGIUS oræ
Addidit & largo cenſu donavit alumnos.
Auguſtiniaci Fratres hanc ordinis olim
Incoluere domum, ſed nunc ſtudioſa juventus
Hic alitur magno juvenili in tempore ſumptu.

Munitæ arces & urbes VVyrtemb. Anno 1537. & 1538.

Poſthac LANDGRAVIO ſic erhortante PHILIPPO,
Arcibus imponunt firmo munimine valla,
Aſpergamq; altam, celſoq; in monte Taellum
Condenſant muris, & propugnacula ponunt.
Arce nova murisq; novis & mole ſuperba
SCHORNDORFFAM meliùs munitã hoc tempore reddũt.
Hic bis mille viri ſaxis ligniſq; ferendis
Convenere tubæ ad ſignum: pars ducere muros,
Pars craſſis manibus ſubvolvere grandia ſaxa.

2. Chronic. 8. Ut quondam Rex Jeſſæo de ſanguine natus
Munivit Balatham, Thattamq; & utramq; Bethoron,
In quibus aut Regis theſauri, agilesq; quadrigæ,
Aut equitum turmæ, aut certi granaria victus.
Et pius Ezechias Solimâ Regnator in urbe
Effecit patriam valido munimine firmem,

2. Chronic 32. Conſtituitq; ſuis nova propugnacula muris,
Et catapultarum jaculorumq; addidit arma,
Et duris cives clypeis inſtruxit, ut omnem
Aſſyriæ hoſtilis vim propulſare valerent.

Et jam

Et jam CHRISTOPHORUS *jussis parere paternis*
Sat memor, & Pedemontanis jam miles in oris
Viginti & tria signa feros educit in hostes,
Phœbæos tolerans æstus terrásq; mariq;:
Ferre sitim, diramq; famem jam discit, & æquo
Perdurare animo tot certa pericula vitæ.
Ausonius donec Præsul pia fœdera pacis
Attulit, hîc ubi se Nissæa mœnia tollunt.
Ad patriam, carumq; Patrem tunc ille reversus,
Adversus Solymannæas pugnare cohortes
Cogitat, in Martem cordata mente paratus.
Nam Solymannus atrox diros hoc tempore Thraces
Armârat, Pestumq; urbem, Budamq; superbam,
Strigoniasq; arces, & Regis ceperat Albam.
Protinus Austriacus Nemetum FERNANDUS *in urbe*
Concilio indicto Germanos Marte potentes
Admonet, auxilium ferre, atq; extrudere Turcas
Finibus Hungaricis: assensu largiter uno
Sese alacres simul ostendunt, belloq; paratos.
Ulricus, nec non ad bella GEORGIUS *acer,*
In pugnam mittunt patriæ magna agmina gentis.
Ter quinquagenos Equites in prælia natos,
Mille viros Peditum, & tormenta minantia Mortem,
Illos Hevvæâ de stirpe GEORGIUS *ortus*
Pannonios in agros duxit, vitamq; reliquit.

Militia CHRISTOPHORI VVyrtemb. in Gallia. Anno 1537.

Indueiæ belli Anno 1538.

Reditus D. CHRISTOPHORI. Anno 1542.

Comitia Spiræ, An. 1542.

Auxil. VVyrtemb. contra Ture.

Georg. Hohenhevvensis.

FINIS II. PANEGYRICI.
ξωὴ Θεῷ.

Capita Panegyrici III.

I. Colloquium Duc. ULRICI cum Fratre GEORGIO, De Matrimonio Filii CHRISTOPH, ubi Sponsa per circumstantias laudatur.

II. De Fortitudine & periculis Princ. GEORG. in bello Germanico.

III. De Matrimonio Princ. GEORGII, & confœderatione cum Duce CHRISTOPH. Wyrtemb.

IV. De Princip. GEORG. Filio: D. FRIDERICO, hodie Duc. Wyrtemb. de quo recèns nato, ex arte Poëtica multa notabilia & illustria vaticinia in medium proferuntur.

V. De peregrinatione Duc. Princ. GEORGII ad Duc. Wolffg. Duc. Bipont. Affinem, &c. ubi ex adversa valetudine inter Psalmor. lection. vitæ pensum absolvit: Idib. Quinct. Anno 1558.

Panegy-

Panegyricus Tertius,

DE ILLUSTRISSIMO ET FORtißimo Princ. & Domino,

DN. GEORGIO,

COM. VVYRTEMBERG. ET MOMPELIGARD. DOMINO SUPREMO HERICURIÆ,

P. P.

Oratio Ducis VLRICI, ad Fratrem Prin. GEORG. de Conjugio Pr. CHRISTOPHORI.

GErmanum tali ULRICUS *tum voce* GEORGUM
Alloquitur: Tu noſti equidem, chariſſime Frater,
Ad Rhodani Dominum ante annos dimiſimus octo
CHRISTOPHORUM *Natum, ſub quo tolerare labores*
Militiæ, cujusq; aſſueſcat cernere facta.
Ut nuper rediit longinquo à flumine Vari,
Hungaricum in bellum totis ſe viribus armat.
At me tarda premit, morbisq; gravata Senectus,
Signaq; vicina veniunt prænuncia Mortis:
At Patriæ noſtræ ſupereſt hic unicus hæres:
Ipſe vides quantum ſuperet virtute decora,
Et certè tanto nos huic impenſius æquum eſt
Conſulere, & rerum varios expendere caſus.
Conjugio huic meditor caram ſociare maritam,
Nobiſcum ut magno Patriæ teneatur amore:
Dum cœlebs te vita tenet, chariſſime Frater,
Noſtra erit hæc Regio ſatis ampla mihiq; tibiq;,
Mompeligardæas pacato Cæſare ſedes
Huic dabimus, ſi conſultum ſic eſſe videtur.

Pr. GEORG. Responsum.

Frater ad hæc lato respondens ore profatur:
Haud equidem sine mente reor, sine numine CHRISTI
CHRISTOPHORUS rediit: Sponsam conjungere fas est
Non genere indecoram, aut spretis natalibus ortam:
At quæ communem cultum, & communia Sacra
Nobiscum colat, & nostris sit gloria terris.
Me si fata volent sine prole relinquere vitam,
Tum meus omnis ager, cumq; altis oppida castris,
CHRISTOPHORO cum pace mea per sæcula cedent.

Arx HARBVRGA a Pr. GEORG. condita, Anno 1543.

Quamq; novam statuo Harburgis in mœnibus arcem,
Si volet illa etiam in terra considere, cedo.
Tu modò non concede abitum, causasq; manendi
Huic expone duas; nobis DEUS *annuat oro.*
Sunt multi magniq; Duces, & Teutonis ora
Magnanimi Heroës, genus alto à sanguine Regum,
Hunc sibi qui Generum exoptant tot dotibus auctum:

Ducis VLRICI Oratio ad Princ. Filium CHRISTOPHORVM, de ineundo Matrimonio.

Nec mora, CHRISTOPHORUS *Patris intra tecta vocatur:*
Huic Pater apposuit pleno duo pocula vino,
Rubro hoc, illo albo, jussitq; ut sumeret haustum
Ex utro vellet: mandatis ille paternis
Paruit ex albo, sortis licèt insçius esset.
Huic Genitor: CHRISTUS *totum qui temperat orbem,*
A quo nomen habes, qui Fons est magnus amoris,
O Fili, CHRISTUS *nostra hæc incepta secundet.*

Sponsæ Patria Onolda, Vrbs, Vulgo Onspach. Sponsæ Pater, GEORGIUS Pius: March. Brandenb. & Onold. &c. Sponsæ Mater HEDWIGIS

Hîc ubi Marchiacæ jacet urbs ditionis ONOLDA,
Principibus possessa viris, pulcherrima sedes,
Ornatus solida virtute GEORGIUS *illam*
Nunc tenet, illustris Princeps, sceptroq; potenti
Subjectos populos, dotalia q; arva coërcet.
Huic Münsterberga de Conjuge nubilis annis
Et matura viro superat castissima virgo:

Hanc

Hanc tibi delegi multis de millibus unam,
Quæ tecum posthac fœlices exigat annos,
Et fœcunda patrem faciat te pignore multo.
Continuò Sponsus Patruo comitante GEORGO,
Lætus abit, jam promissa de virgine certus.
Hic confirmantur pia fœdera, dextera dextræ
Jungitur, inq; vicem Sponsalia munera dantur.
Tunc epulo indultum, tunc omnis cura valere
Jussa, procul q; actus mœror, ceu quando fugatis
Post multas hyemes tempestatum q; furorem
Nubibus, in vacuum purus redit aëra Titan:
Tum thalamo statuêre diem, festoq; jugali.
At Pater atherius rerum cui summa potestas,
Hic iterum lætis conjungere tristia rebus
Cogitat, & fatis miscere adversa secundis.
Heu, Socerum inter ea Cœli vitalibus annis
Eripit: & jam Fama hujus pranuncia luctus
Christophorum Sponsum, & Teccæa mœnia complet.
Dant gemitum, pectus tundunt, praq; omnibus unus
Cum Patre, cum Patruo, lachrymis deplorat obortis
Tecciacus Sponsus Socerum, hoc in cardine rerum
Extremum clausisse diem, magnum q; dolorem
Antiquo de more atro testantur amictu.
Non igitur pompas voluit celebrare superbas,
Tempore quo Sponsam Patria de finibus urbis
Christophorus duxit, sociiq; jugalia lecti
Vincula suscepit, faciente Antistite Sacrum.
Hunc Pater & Patruus posuêre in pace quieta,
Hic ubi Mompeligarda jacet, pinguissima tellus.
Post hæc Teutonio tempestas tristis in orbe,
Consurgit, dirisq; implet rumoribus urbes,

Carol. Duc. Münsterberg. & Præsid. Silef. Filia.

Pr. GEORG. VVyrtemb. industria erga Sponsum D. CHRISTOPHOR.

Celabrantur Sponsalia. Anno 1542.

Socer Ducis CHRISTOPHORI moritur, an. 1543 4. Ian.

Sedes Duc. CHRIST. apud Mompelig.

Bellum Germanicum. 1546.

Quòd Cæsar veniat circumstipatus Iberis,
Austriadumq; ope suffultus, frameaq; Boëma
Intentare illis cædem, stragemq; nefandam,
Qui renuant cultus veteres, qui dogmata nolint
Præsulis Ausonii, istorum qui causa malorum
Sola fuit, Meretrix Babylonia, bestia sæva.
Classica jamq; sonant, & Teutonis ora tumultu
Conjurat trepido, sævit Germana Juventus.
Non tulit Ulricus Fraterq; Georgius istud
Servitium, malunt pro libertate mori.

Pr. GEORG. Fortitudo.

Ergò ruunt in bella pares, & Signa virorum
Bis duo, bisq; decem tanta hac in prælia cogunt,
Hos inter medios Dux ipse Georgius armis
Cinctus agit, secumq; Harderum in prælia ducit,
Heideccumq; & Gyltlingum duo fulmina belli:
Hic etiam Schertlinus adest, acuitq; furores,
Et Bessererus mediis in millibus ardet.
Continuò angustas currit Schertlinus ad Alpes,
Ut bivias armato obsidat milite fauces,
Cæsariamq; aciem excludat, turmasq; Latinas.
Occupat hic Erebergam arcem, celsamq; Fiessam.
Heideccus VVerdam fluvio quam circuit Ister,
Dillingamq; capit, tentatq; pericula belli.
Tunc à Danubii descendit flumine Cæsar
Juxta Ingolstadium, cui se Neoburga minanti,
Cui se Schertlino multum indignante Lavinga,
Danubiusq; omnis subdit, veniamq; precatur.
Interea Heidecco ductante Georgius ibat
Auxilio reliquis, usq; ad Duntsdorffica rura,

Pr. GEORG. Periculum.

Utq; vacillantes Ductores vidit ubique,
Totam aciem ad Patriæ fines & nota reducit

Limina,

Limina, Schorndorffamq; intrat, Martemq; lacessit.
At Fratrem ULRICUM *munita in tecta Tuellæ*
Constituit, ne Cæsareis succumberet armis.
Excessit deinde ipse loco populisq; pepercit.
Quos sine vulneribus, sine cade, & sanguine fuso
Obtinuit Cæsar lati per flumina NICRI:
Ergò Oratores ULRICUS *ab arce Tuellæ*
Germani suasu mittit, qui protinus irent,
Quiq; exorarent irato à Cæsare pacem.
His postquam admissis coram data copia fandi:
FESSLERUS *Senior demisso pectore cæpit:*
O Cæsar divine, genus qui ducis Olympo,
Parce Duci ULRICO, *Germano & parce* GEORGO,
VVyrtembergiacis clemens es victor in oris:
Non hi te Imperio cupiunt detrudere avito,
Non ferro veniunt Divi populare penates
Cæsaris, aut raptas à templis vertere prædas.
Non furor hic illis, non tanta superbia cordi,
Non truce Cæsarium petitur caput ense, sed una
Religio patriæ maneat quæ libera terra.
Tu modo da pacem, Te VVyrtemberga vicissim
Agnoscit Dominum Imperii, Patriaq; Parentem.
Prosequitur Cæsar venia, exauditq; precantes,
Sed tria castra sibi tota in ditione reservat,
In quibus imposuit sævo mucrone minantes
Quas acies secum Hispanis eduxerat oris.
Protinus Aspergæ sedes, Kirchæaq; castra
Invadunt, & Schorndorffæ nova mœnia latis
Vexillis intrant, generosi ubi copia Bacchi,
Et flavæ Cereris jacuit congesta supellex.
Nec priùs his cessêre locis, quàm tertius iret

Cæsar occupat Ditionem VVyrtemb.

Oratio FESSLERI Cancellarii VVyrtemberg. ad Cæsarem.

Dux VLRIC. recipitur in gratiam.

Ingressus Hispanor. in Ducat. VVyrtemb.

Au

Discessus.

Autumnus, patria cùm jam tractaret habenas,
CHRISTOPHORUS Princeps chari post fata Parentis.

VLRICVS Dux moritur, Anno 1550. 3. Id. Novem.

Ut fuit ULRICO Duce Fratre GEORGIUS orbus,
CHRISTOPHORO se conjunxit, qui regna paterni
Imperii facta vix tandem pace regebat:
Molpelgardiaca nuper qui sede relicta,
Venerat ad NICRUM, secumq; adduxerat unà
Uxorem & prolem generoso sanguine natam,
Urbs ubi nota jacet, priscum cui nomen Equarum
Hortus habere dedit, jam tunc possederat illam

Succedit Dux CHRISTOPHOR. & sedem transfert Stutgard.

CHRISTOPHORUS, jam tunc excluserat omnibus oris
Hispanas acies: Nam gratia Cæsaris illi
Prompta fuit, teneris dudum quem norat ab annis
Religioso animo, & nulli pietate secundum.
Hic ergò patruum fatis melioribus uti
Exoptat, magno coluit quem semper honore,
Tempore quòd nullo, quòd nulla in sorte Parenti
Defuerat, variis comes indivisus in oris,
Durante exilio, & rebus durantibus arctis.
Hunc ad se vocat, & dictis ita mollibus infit:

Oratio Ducis CHRISTOPHOR. ad Pr. GEORG.

Qui nobis superes Princeps animose GEORGI,
VVyrtembergiacæ non ultima gloria gentis.
Tu Patre defuncto, nobis Pater alter haberis:
Ille tuam benè sensit opem, dum vita manebat,
Auxiliisq; tuis per multa pericula vitæ
Sæpius evasit: Quare persolvere dignas
Non equidem grates angusto è pectore possum.
At Pater Omnipotens, oculis qui talia justis
Aspicit, ille tibi largissima præmia reddet,
Pro pietate tua, per millia multa nepotum:
Sic est in fatis, nec me pia numina fallunt.

Jam

Jam jam tempus erit, ſoboles pulcherrima quando
Sanguine nata tuo, in patriis dominabitur arvis.
Poſteritas q̃ meo de ſemine tota virilis
Deficiet, ſic prædixit puer aliger olim.
Quare age, non fas eſt oracula temnere Divûm:
Elige vel tandem multis è millibus unam,
Quæ tecum vitæ reliquos benè tranſigat annos,
Progeniem q̃ novam patrias quæ gignat in oras:
Quos Pater ante meus cum magnis urbibus arces,
Quos populos, & quas terras tibi tradidit olim,
Seu ſint Alſaticis quas Illus inundat in oris,
Seu Burgundiacis in finibus; omnia rurſus
Omnia concedo, quæ tu cum conjuge charâ
Poſſideas in pace bona, quin inſuper addo
Proxima Badanis Neopyrgæ mœnia terris,
Cum vicis & agris, quos Entſius alluit amnis.
Tu modò ne ſterilem ducas ſine conjuge vitam,
Si te fortè premant morbi, & tua grandior ætas,
Quis tibi ſuccurret? vel quis tua damna levabit?
Uxor enim Matrem q̃ Patrem q̃ focos q̃ paternos
Deſerit, ut tecum maneat noctes q̃ dies q̃,
Et fœcunda tuo pariat de ſemine prolem,
Conſtituat q̃ novam tecum gentem q̃ domum q̃,
Naſcitur indignè per quem non naſcitur alter.

Vaticinia de Pr. GEORG. Poſteris.

Supra Panegyr. l. v. 140.

Huic iterum placido ſic ore GEORGIUS inſit:
Quam pro me curam geris, hanc Dux Optime grato
Ex animo agnoſco, ſimul & quæ plurima ſubdis
Regna meo Imperio populoſa & ditia regna.
Quod fidum das conſilium, ne tempora vitæ
Orbus agam ſine conjugio, ſine pignore lecti,
Non equidem renuo, non fas oracula Divûm

Oratio reſponſoria Pr. GEORG.

Temnere, namq; meo genitos de semine certum est
Per longam seriem Dominosq; Ducesq; futuros,
Quàm latè NICER, quàm latè funditur ILLUS,
Jam subit huic animo, quo tempore belliger HESSUS
Post tam longa tuum post tristia fata Parentem
Reddidit huic Patriæ, verbis tunc ille benignis
Promisit Natam nobis, dulcisq; Maritæ
Spem non obscuram seros mihi fecit in annos:
Est huic sat matura viro, sat nubilis annis
BARBARA, quam Pietas, Virtus & Gratia forma
Commendat, multis illam de millibus unam
Uxorem elegi, Deus hæc incepta secundet.
Sic ait illachrymans, inq; atria celsa subivit,
CHRISTOPHORI hic intus fœcunda puerpera Mater
Tempore tunc illo LUDOVICUM nomine dictum
Infantem ediderat, fœlici sidere natum,
Qui post fata Patris viginti quinq; per annos
Præfuit Imperio, & vitam sine prole reliquit.
Extemplò Hassiacam Legatos mittit in aulam
Illustris Sponsus, verbisq; informat amicis.
Ipse sed interea sedes quas ILLUS inundat,
Præparat ad thalami festum, scriptasq; tabellas
Cognatis mittit turbis, sociisq; vocatis.
Hinc magnos ludo circos designat equestri.
Hinc tecta hospitibus præscribit, & ordine justo
Excubias locat, & rerum quæ postulat usus.
RICHOWILA jacet sedes antiqua Parentum,
Urbs dives Baccho, Cereali munere dives:
Hic latè effusi stabant per mœnia Cives,
Hassiacam cupido expectantes pectore turbam:
Jamq; adventantes alacri ipse GEORGIUS ore,
Excepit,

Vide supra Panegyr. 2. vers. 180.

Sponsa Princ. GEORG. PHILIPP. Landgr. Hass. Sponsæ Pater.

LVDOVIC. Dux VVyrt. nascitur anno 1514. Cal. Ianuar.

Legatio in Hassiam ad Sponsam.

Locus Nuptialis.

Excepit, magna populi comitante caterva:
Ut Sponsam medio venientem ex agmine vidit,
Regalem ex oculis quæ perspirabat honorem,
Hanc properans adit, & totis complectitur ulnis,
Non secus ac quondam campos ingressus apricos,
Cùm vidit Syria deductam ex urbe Rebeccam
ISACUS optato junctam sibi fœdere lecti,
Conjunxitq; manus manibus, dextraq; prehensam
Matris in amissæ duxit conclavia SARÆ.
Jamq; ubi dicta utrinq; Salus clamore secundo,
Gaudia testantur comites, urbemq; subintrant,
Et dape se recreant, & vino corpora curant,
Atq; omnis mœror festivæ ex urbe recessit.
Luce nova veniunt sancta in penetralia templi,
Attentas dantes monitis cœlestibus aures:
Ingeminantq; preces, DEUS hæc connubia sacro
Flamine confirmet, concedat prospera vitæ
Commoda, fœlicesq; dies, prolemq; vetustæ
Suscitet huic domui: ferat hoc divina voluntas.
Jamq; dies epulata aliquot Gens omnis, & aris
Factus honor, festo solenni more peracto,
Quisq; suam in patriam redit, & sua tecta revisit.
Ergò sepositis post bella GEORGIUS armis,
Conjuge cum charâ traduxit suaviter annos,
Quamvis jam senior cano spectabilis ore,
Lustra decem sine conjugio complevit & unum.
Non tamen effœtus, non frigidus ille senecta
(Dante Deo vires) fuit auctus prole virili,
Ante anni spacium Puer est productus in auras:
O Puer egregius, felici sidere natus!
Quem Genitor sancto Baptismi flumine tinctum,

Adventus D. Sponsæ.

Salutatio.

Genes. 24.

Convivio.

Ecclesiastica stipulatio Matrimon.

Preces & Vota.

Discessus hospitum.

D. Sponsi ætas.

D. Sponsi εὐτυκία. Nascitur Dux FRIDER. ξὺν Θεῷ, Anno 1557. 19. August.

Pacatis rebus FRIDERICUM *nomine dixit.*
Extemplo Vates oracula multa canebant:
Hunc fore VVirtenbergiacum qui temperet orbem,
Vaticinia de eodem. *Cum Duce* LUDWICO *patria qui crescet in aula,*
Huic adeò paucis pòst successurus in annis.
Hunc equidem agnoscent manifesto numine ferri,
Usq; adeò mores passim hoc regnante, redibunt,
Et sese in melius referent, & fama per omnes
Protinus exibit tantò de Principe terras.
Quosq; Viros Equites extrema Britannia jactat,
Gallia quos jactat, non horum cesserit ulli.
Arbiter Imperii spectabit & ipse RODOLPHUS
Virtutes hujus Generoso Principe dignas.
Vivat Nestorios & vivat salvus in annos.
Audivêre viri consanguinitate propinqui,
Quòd sit de sexu meliore GEORGIUS *auctus:*
Congratulationes propinquorum. *Ipse* PHILIPPUS *Avus dulces sub pectore motus*
Concipit, & fusis precibus bona fata precatur.
Christophorus Dux Tecciacis exultat in oris.
Atq; Bipontina VVOLFFGANGUS gaudet in aulâ:
Labitur interea tempus, tacitisq; senescit
Fœcunda fœlix uxore GEORGIUS *annis,*
Pr. GOR G. ægrotescit. *Jam vitæ lustris bis sex cum laude peractis,*
Paulatim languor membris irreptat, & artus
Invadit magis atq; magis, viresq; priores
Deficiunt, gelidus circum præcordia sanguis
Debilitat corpus, mentisq; enervat acumen.
Oratio Dominæ BARBARÆ, ad Dn. Marit. Pr. GEORG. *Barbara (sensit enim) dulci sermone Maritum*
Alloquitur, miscetq; preces, miscetq; querelas:
Heu Domine, heu mea sola Salus, mea Vita, meum Cor,
Æger es, ut video, tua membra & genua vacillant

Inq;

Inq; dies tuus ille vigor, viresq; remittunt.
Consule quaeso viros Medicos, si fortè salubres
Exhibeant succos, sive herbis, sive lavacris
Te jubeant uti: toto non majus in orbe
Esse bonum fertur, quàm morbi nescia vita,
Una valetudo censu praestantior omni.
Me Sociam, fidamq; tibi conjunge Ministram,
Qualicunq; modo poteris depellere morbum,
Usq; ad longinquos ego te Garamantas & Indos
Prompta sequar, mi vir, à te me nemo revellet:
Tu modò curam adhibe, modò non medicamina differ,
Dum nondum totos invasit morbus in artus.
Ignis ut exoriens paucis restinguitur undis:
Sed postquam vires acquirit, & arbore toto
Dispergit flammas, jam non ingentia prosunt
Flumina, sic serò interdum Medicina paratur.
Dixerat: huic autem subridens grata Maritus
Oscula dat Princeps, & talibus ora resolvit:
Desine curarum, ô Conjux, mea sola voluptas:
Non gravis est adeò, qui membris languor inhaeret:
Ut variis utar succis herbisq; Medentum:
Quos ego non facilè admitto, pars maxima nescit
Veram artem Medicam, docuit quam magnus Apollo.
At quae dixisti, non omni ex parte refello:
Non autem corpus vitium traxisse videtur:
Sed meus hic animus torquet languore maligno.
At me causa latet, nisi fortè domesticus aër
Non satis est aequus, quod suspicor & reor unum.
Quare age, per tempus sine liberiore fruamur
Aëre, sapè peregrinis arcana sub auris
Vis latet, & vires in membra caduca reducit.

R: sponsum Pr. GEORG.

Mutatio aëris.

VVOLFFGANGVS Palat. Rheni, Dux Bavar. Com. Velden. uxor. duxit ANNAM PHILIPP. Landgr. Hass. Filiam.

Scis, tua nos toties toties Soror ANNA vocavit
Juncta Bipontino Domino, qui mœnibus amplis
Imperat, hic ubi se Veldentia tollit in auras,
Et quam dixerunt binis de pontibus urbem:
Hunc mihi fert animus coràm spectare Propinquum
Funeris ante diem, si fortè salubrior isthic
Addat opem Genius q3 loci, rerum q3 voluptas.
Si feret hoc Patris atherei divina voluntas,
Me juvat hîc spectare domos, quas divite censu
Ipse novem Musis fundavit in urbe Lavinga:
Me juvat Aoniæ sedem spectare Juventæ
A cornu & Rivo dictam, quam turpibus ille
Fratribus ejectis meliores vertit in usus.
At mihi te gravidam non hoc in tempore fas est
Esse viæ sociam: quæ sint discrimina rerum
Ipsa vides, te ventris onus mecum ire retardat.
Me si defuncto nascetur posthuma proles,
Te superesse velim, tua vitâ dignior ætas.
Dixerat: & Dominum Cœli sic ore precatur:
O Deus, ô Custos hominum, rerum q3 Creator,
Da Pater, ut faciam fœlici sidere cursum,
Aligeros mihi da comites, velut antè dedisti
Hebræis Patribus per tot deserta locorum,
Utq3 abeo salvus, sic me cum pace reducas.
Audiit hæc, votiq3 dedit succedere partem
Omnipotens, partem volucres dispersit in auras:
Non dedit in patriam ditionem posse reverti.
Ipse vias equidem jam sat fœliciter omnes
Emensus fuerat, venientem protinus ipsum
Accepit magno Princeps VVOLFFGANGUS honore,
Congressi dextras jungunt, mediis q3 residunt

SCHOLAS duas condidit: LAVINGANAM in Palat. superiore.

HORNBACHIANAM in Ducatu Bipontino.

EVACHRISTINA Fil. Posthuma nascitur Anno 1582, 3. Oct.

Pr. GEORG. peregrinatio ad Duc. Bipont.

Ædibus,

Ædibus, & variis miscent sermonibus horas.
At magis atq; magis crescunt contagia morbi.
Et jam fatalem Pius ipse GEORGIUS horam
Sentit adesse sibi, torquet latus aspera Febris,
Difficilisq; egros labefactat anhelitus artus,
Os aret, positaq; movent fastidia mensæ.
Jamq; animam tibi CHRISTE suam commendat, & hymnos
Davidicos cantat, profertq; novissima verba:
Sit clemens, nostramq; vicem Rex Conditor Orbis
Aspiciat miseram, res & benè vertat iniquas.
Non faciem occultet, qua totum illuminat Orbem,
Ut cognoscamus quæ sit via certa Salutis.
Per populos omnes, Gentes audita per omnes,
Nos miseri, terræ affixi, rebusq; caducis,
Non est in toto Gens intractabilis Orbe,
Quæ tibi non grates DEUS Optime Maxime dicat.
Lætitia exultant, & laudibus omnia complent,
Jubila lata canunt, quoniam te Judice justo,
Terra gubernatur sanctæ moderamine Legis.
Non adeò populus ferus est & barbarus ullus,
Qui tibi non tribuat meritæ præconia laudis.
Qui non se gratum promittat pectore toto,
Ubere quòd cornu tellus sua germina profert.
Nos DEUS, ille DEUS noster, DEUS Optimus ille,
Aspiciat clemens, & res benè vertat iniquas:
Qui solo nutu totum perterret Olympum.
His dictis vitam clausit, terrisq; relictis,
In veram patriam superas migravit in arces,
Hîc agit æternum cum Diis cœlestibus ævum:
Ossa Bipontino delubro inclusa quiescunt.

Pr. GEORG. decumbit.

Canit Psalmos.

Psalmus 67.

Pr. GEORG. moritur, Anno 1558. 19. Jul.

Sepelitur.

FINIS III. PANEGYRICI.

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

XVII, Wartenb. 6.

XVII. Wartenb. 6.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK


Signatur: , [82] - uncounted

GWLB Hannover 35
039 985 458

XVII, Würtemberg 6.


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: , [83] - uncounted



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: , [84] - uncounted PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: , [85] - uncounted
PUBLIC DOMAIN